

12.

A. J. T.
DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
SANGVIFICATIONE
IN HOMINE,
SECUNDUM & PRÆTERNA-
TURAM,

Quam
SUB AUSPICIIS DIVINIS,
RECTORE HUJUS UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO

PHILIPPO WILHELMO,
S.R.I. COMITE de BOINEBURG,

SACRA CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO & CA-
MERARIO, nec non METROPOLITANARUM ECCLESiarum,
MOGUNTINÆ & TREVIRENSIS CANONICO CAPITU-
LARI SENIORE, & respectivè CHORI EPISCOPO,
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CON-
SILIARIO INTIMO, ac CIVITATIS TERRITORII que
ERFURTENSIS PRO-PRINCIPE &c,&c.

Cum Approbatione
INCLITÆ FACULTATIS MEDICÆ
IN ALMA GERANA UNIVERSITATE

PRO LICENTIA

*Summos in MEDICINA HONORES cum annexis PRIVI-
LEGIIS legitimè capessendi,*

æquo Eruditorum judicio exponit

Die Aprilis, Anno MDCCX.

H. L. Q. C.

PAULUS HENRICUS Bogel / Erfurt.


A. & D.

ERFORDIAE,
Typis JOH. HEINRICI GROSCHII, Acad. Typogr.

DISERTATIO MEDICA HISTORIARUM

SANGUIFICATIONE IN HOMINIS SECUNDUM PRACTICERIA TRIUM

IN ALIA GERMANIA UNIVERTITATI
P. 6 IHCNITAI




PROÆMIUM.

Vantum opere à multis retro seculis locaverint
Philosophi in acquirenda corporum naturalium,
non eorum solum, que nobis propinqua, infra
aut supra terram obvia sunt; sed eorum etiam,
que nimis magno intervallo à nobis remota, sen-
sibus nostris ea perscrutaturis haud leve difficultatis pondus obvi-
cietur, cœli cœlestiumque nomine terrenis illis opponuntur, no-
titia, nemini non, qui vel fugitivo oculo eorum scripta perlustra-
vit, tam notum erit, quam quod notissimum. Quod si vero
attento & veri studio animo nobiscum reputamus maximos
labores & sudores, quos in hac, non nisi sensuali, historica &
experimental cognitione nature scrutatores collocarunt, & ni-
hilominus quorundam proprietates, affectiones, usus & effectus,
nobiliaria accidentia, solitas mutationes, frequenter eis obveni-
entes defectus, morbos & vitiæ ipsi incogita, atque ipsis obvoluta tenebrarum nebulis, magna ex parte imperscrutata-
bilia hactenus fuisse deprehendimus; tanto certius firmiusque
nobis persuadere possumus, quantis laboribus, quot lucubratio-
nibus se defatigaverint in comparanda rerum naturalium scien-
tifica cognitione, quando inquisiverunt in omnium corporum
sensibus comprehensibilium fabricam & structuram internam &
externam, partium singularium conformatiōnem, mutuam habi-
tudinem, connexionem, usus &c. ut ex his præcognitis omnium

affectionum, actionum, effectuum, defectuum, perfectionum & imperfectionum causas immotas, veras & indubias firmis rationationibus atque legitimis consequentiis deducere ac derivare valerent. His namque eorundem strenuis conatibus ex parte, quorundam inaccessam & tantum non immensam distinctionem, plurimorum vero adeo subtilem elaborationem & fabricationem firmanque adeo partium cohesionem, nullam, nec mechanicam nec physicam partium dissolutionem & texture reclusionem admittentem obstatissime comprehendimus, ut hac ratione nullis etiam perspicacissimis atque armatis oculis penetrabiles hactenus fuerint, proindeque rata firmaque fluat consequentia, non tantum omnium simul in hoc mundi systemate existentium corporum naturae, proprietatum, effectuum atque defectuum &c. Notitiam atque scientiam latius extensam & profundiorē esse, quam qua ab unus, etiam acutissimi & vivacissimi hominis ingenio stabiliri atque comprehendendi possit; Sed singulariam etiam creaturarum per vestigationem omne huminum eludre ingenium studiumque: quod assertum nemini, cui ceteris sepositis, ad hominis machinam animum tantum adverte libet, paradoxum videbitur, sed potius id ipsum suo niti fundamento luculentissime cognoscet; ut propterea in ejus uberrimam confirmationem non opus sit instantiarum exhibere farvaginem, sed in hac unica merito acquiescere licet. Tistantur insuper varia Medicorum scripta aliquot hominum etatibus ab hinc magna copia exarata, quanta diligentia, maximis quorundam Magnatum sumptibus, magis magisq; Corporis Humani fabrica & humorum illud perlungentium natura detecta fuerit, ut uerior & accurasier horum cognitione tandem scaturirem quasi aperiet, e cuius continuato rivo non tantum singularium partium operationes, effectus, morbos &c. Sed etiam horum veras & indubias causas recte consequentiari tractu deducere ac demonstrare integrum daretur. Hosipos quoq; haud exiguo in corporis humani & eorum que ad illud pertinent, cognitione fecisse progressus, neminem, cui scripta antiquorum cum recentiorum scriptis confirre libet, fugere

fugere aut latere potest ; in multis vero in corpore humano ob-
servabilibus phænomenis ex propriis suis causis, nobis tam scitu
necessariis quam jucundis , deducendis & eruendis, aut vanam
tantum & inutilem verborum copiam exhibere aut alto pror-
sus eadem praeterire silentio, nemo, credo, diffitebitur: Quod ipsum
hanc obscure inter alia confirmat Casp. Bartholinus Thomæ F.
in Specim. Anat. Prefat. his verbis : Etenim ubi illa, quæ
vera sunt, probe distingvuntur à dubiis, pauca admodum
de statu partium naturali nobis sunt cognita, præcipue de
humoribus corporis nostri & minima illa partium struc-
tura, per quam natura suas exercet operationes. Ut pro-
inde horum attenta consideratione ad rationis sensuumque no-
strorum infirmitatem & imperfectionem deplorandam ; Sum-
mi vero Creatoris Sapientiam & Majestatem admirandam o-
mnique cultu decenterandam compellamur. Eximia nihilomini-
nus laude celebrari merentur, qui neque ullo difficultatis ponde-
re deterriti, nec laboris tedio capti in instituto graviter pertexe-
re, atque licet absoltam Medicina certitudinem comparare non
valerent, aliquam tamen partem eidem conferre omni studio al-
laborarunt, quorum etiam noninius gloria latè longeque se exten-
dit propterea, quod multa sub spissa tenebrarum caligine sepul-
ta, indecessu suo studio in clara veritatis luce collocaverint: Que
ipsa jam recensere cum presentis instituti prohibeat ratio, ad
propositum properamus, & eam, à cuius integritate maximam
partem vita & sanitas dependent, actionem, Sangvificationem
puto, in homine jam perfecto, exponendam suscipimus. Ad
te vero omnipotens Deus supplici animo devolvimur, velis im-
becillitatí mentis nostrae benigriter succurrere, presentes cona-
tus validissimo tuo Praesidio secundare, tandemque dirigere in
Sanctissimi Noministui Glorian. Proximi emolumentum, tuę
que Sapientie & Providentie celebrationem. Insuper Benev-
Lectoris Favorem ea qua est humanitate atque observantia,
omnibus votis exoptamus.



CAPUT I.

*Exposito nomine, Veterum & Recentiorum de Sangvi-
ficatione sententias cum succincta Epicrisi in me-
dium profert.*

§. I.

 Um laudabili receptum sit more, in Thematis alicujus tractatione sub forma Dissertationis, aliis omnibus nominis expositionem in Ety-
mologia, Synonymia, &c, si quæ illius est, Ho-
monymia consistentem, melioris doctrinæ ergo, præmit-
re ; nos quoque eundem deserere nec volumus, nec de-
bemus. Ponimus itaque voçem sangvificationis esse ori-
gine Latinam ex vocabulo sangvis compositam & facio.
Græcis uno nomine audit *ἀγνάστας* ab *ἀγνάστων* sangvifico, Ger-
manis, die *Blutmachung*.

§. II.

Sangvinis nomine quid denotetur nemini non con-
stat, quomodo vero à Medicis definiatur, ex ipsa tracta-
tione luculentissimè patebit ; quapropter ejus definitio-
nem hic exhibere supersedemus : Homonymiam vero
sub termino sangvificationis latentem, ad evitandos erro-
res ex ejus ignorantia oriundos, exhibemus. Notandum
igitur Sangvificationem aliam esse, quæ fit immediate
post conceptionem, aliam verò, quæ fit in homine jam
perfecto, hoc est, qui in lucem editus, respirat, edit, bibit
aliisque ad vitam necessariis defungitur muniis ; illam ab
hac præcisam, jam mittimus ; hanc verò, utpote proprie
ad Medicum pertinentem, in praesenti Dissertatione pro
ingenii viribus exponere decrevimus.

§. III.

§. 3.

Maximum de hac materia in universum veteres inter ac recentiores Medicos divertium esse positum, & tali quidem , ut nulla conciliationis via aut spes ad minimum superesse videatur, [n]eminem credo, ab omni præjudicio liberum, inficias iturum ; quique serio mecum perpendere voluerit, quali & quanto illi terminorum & inanum verborum lusu incedentes, rem in se satis intricatam atque expositu difficilem , tenebrarum velamine magis obtexerint, quam ex obscuritatis valle reduxerint, & præterea voluerint, ut termini, (quibus rebus claram affundere lucem nitebantur, quosque explicare ipsis integrum non erat) æque ac numerata pecunia accipientur. Hanc eorum à veritatis via aberrationem non est ut adeò miremur, nam juxta illud Ovidii

*non omnia grandior ætas,
nos quæ scimus, habet ; seris venit usus ab annis.*

Antiquorum porro ætate , nec Anatomia tantum habuit perfectionis, sed illa præsentis ævi longè fuit inferior ; nec sanguinis circulatorius motus , verum Medicinæ fundatum eis innotuit ; Chymicam rerum in partes constitutivas resolutionem ad manus sumere ignorarunt ; nec denique crebris experimentis , & studioſa obſervatione phænomena cognita dextrè applicandi, atque inde ad incognitarum rerum notitiam exoptatos progressus faciendo ratio illis ex usu fuit, maximè cum nulla à prædecessoribus illis fuerint relicta vēstigia, quæ viam ad interiora sacræ veritatis adyta penetrandi monstrare potuissent.

§. IV.

Ut autem veritatis avido Lectori haec tenus à nobis dicta clarius innotescant, enī loca ex eorum monumentis collecta, ex multis quidem pauca, in compendio hic reduntia: Tantum non omnibus communis Definitio hæc est: Hæmathosis est actio vitalis, quā à facultate sanguificati-

cativa sanguis ē chylo in propria officina tanquam laboratorio coquitur. Hanc definitionem distinctam atque claram de sanguificatione intellectui offerre ideam, nemo affirmabit, cui ad examinis incudem eandem mecum revocare non dispicet. Quodsi enim consideramus genus proximum, minimè quidem negare licet sanguificationem esse actionem, cum sine motu nequeat absolvī, eamque vitalem, cum ea sublata œconomia vitalis haud diu subsistere possit, sed interitus accelerato pede ipsi appropinquet: Mentis trutina vero examinantes differentiam specificam, talem eam deprehendimus, ut quid illa indigitare & quomodo genus per illam determinare & specificare voluerint, ipsi Autores quærentibus explicare nesciant. Ponitur enim hic facultas sanguificativa propria Hæmatoseos causa, quid autem propriè sit, unde dependeat & quomodo sanguinem elaboret, ad unum omnes alto prætereunt silentio, ut ita obscurum per æque obscurum explicando, principii committant petitionem, quæ intellectum scientiæ cupidum ignorantiae in tenebris relinquunt.

§. V.

De Sanguificationis officina ferè quot eorum capita, tot sensus fuisse, literarum monumenta satis superque declarant. Qui maximè in illis eminent Galenus constanter in venis fieri sanguificationem asserit; quemadmodum I. de usu part. dicit: *Sanguinis generandi & in omnes partes ferendi gratia vena facta sunt.* Et quarto de Usu part. *Venis facultas sanguinis generatrix inest, ne, dum per eas fertur, tempus ipsi alimento pereat.* In eodem Libro pergit: *Venis quæ ad ventriculum & universa intestina pertinent, inest facultas quedam sanguinis effectrix, quæ succum qui ex cibis distribuitur, venis in sanguinem mutare naturale est.* Fallopius dicit Portam chylium elaborando in sanguinem mutare. Columbus asserit Chylium à Porta & ejus ramis ad Hepatis

patis

patis cavum deferri ac per ejus substantiam dispergi ut ab eo coquatur & in rubrum sanguinem, qualis ipsi est, convertatur. Averrhoës voluit in hepate preparari, in corde perfici & ad alendum in utilem, ni cordis & arteriarum facultas affulserit. Thomas à Vega, Laurentius, Fernelius aliquique hepar & venis sanguinis officinam statuunt. B. Leichnerus Schediastatum de Principiis Medic. VI. Hepatis carnem ratione precipue primordialium filamentorum & staminum sanguificativa virtute principaliter praeditam statuit. Venis ejusdem utriusque ordinis, quae de intima & integrali ejus constitutione sunt, aliqualem quoque tribuendam putat. Aristot. L. 3. Histor. animal. c. 2. & 3. Cor pro sanguinis habet principio, cui assentuntur quoque plurimi. Taceo plures alios, quibus partim proprios cerebelli fetus excludere, partim modo recensitis pollicem premere placuit. Ex omnibus autem his recensitis sanguinis officinis, nulla magis decantata fuit quam ipsum hepar: huic ex dupli ratione, eaque uti credebant inconcussa sanguificationis munus adscribendū judicabant. Primò enim ipsius magnitudinem aliis omnibus visceribus superiorem, colorem & consistentiam instar sanguinis coagulati; Secundò immediatum chyli juxta nonnullos per venas mesaraicas, juxta alias vero per lactea vasa in hepar transfitum, suam stabilire sententiam affirmabant. Locum hic invenit canon: *Dato uno absurdō sequuntur plura.*

§. VI.

Veterum sententiis quasi & iuxta lustratis, easdem nunc mittimus; quid statuant recentiores majori studio & opera, decenti ordine & methodo, ea, quā fieri poterit, perspicua brevitate tradituri. Ante omnia vero de eorum philosophandi methodo præmonere consultum ducimus, eam ratione diversorum principiorum longè esse diversam. Alii enim cum veterum quibusdam, qui ab Her-

mete ut ajunt, autore, Hermetici nominantur, speciale commercium superiorum cum inferioribus statuentes, cuivis animali, plantæ, metallo & minerali, cuivis item animalium parti speciale & proprium suum Astrum tribuunt, quod præ aliis in illis dominari, insiti Astri rector, nutritor & conservator, omnium actionum principium & causa ab ipsis creditur: Alii qui firmiori tali incedere sibi persuadent ex Chemicorum scholis \ominus & \pm ; alii fermenta; alii nescio quem spiritum omnium partium gubernatorem, magno Archei titulo insignitum, ideas & semina in scenam produxerunt. Quibusdam ex acido & alcalino sale; nonnullis ex humorum triumviratu bile, pituita & sero omnes effectus derivare lubuit: Alii principium immateriale intelligens pro principio assumunt, quod non modo actiones naturales sed & praeter naturales administret, idq; faciat non sine prudenter & directione motuum certū in fine certoq; confilio, ut corpus conservetur & à corruptione instanti liberetur. Novissimi per principia Physico-mechanica, hoc est, materiam & motum rem confidere melius intendunt, hujus leges solerter evolvendo & materiae corporis cujusque partes, earum figuram, magnitudinem, situm, nexum, proprietates & operationes frequentibus experimentis mechanicis & chymicis enodando, his ipsis effectus & phænomena explicant, eademque ad corpus humanum & ejus actiones dextre applicant; quibus ipsis principiis utpote naturæ & rationi convenientioribus nos quoque, relictis cæteris in quantum vera sunt calculum addimus: nam amicus Plato, amicus Aristoteles, sed magis amica veritas.

§. VII.

Nunc igitur ad rem. Cartesius, sicuti Peripateticorum in physicis & veterum Medicorum in physiologia medica quatuor elementa horumque primas qualitates ut lubrica admodum fundamenta primus subvertere hisque solidiora substituere studiosè allaboravit; ita & nos Cl. Hogelandii

qui

qui totus videtur Cartesianus de sanguificatione hypothesi
sui cæteris in ordine præmittemus. Ille in Oeconomia
animali pag. 36. & seqq. ita se explicat: *Mixtaque chyli scilicet*
massa partim per quosdam citatae vena portæ ramos, in univer-
sum hepatis parenchyma distributa, & medianibus vena cava
ramis iterum congregata; parim per reliquorum Portæ & Cavae
ramorum anastomoses collecta, prius cavae truncum, indeque ipsum
cor ingreditur, ibidemque mediante quadam fermentationis ac
rarefactionis actione & motu in formam sanguinis vel sanguini-
nem redigitur. Hanc suam hypothesisin passim, præcipue
verò in notis immediate subjectis clariorem reddit, è qui-
bus *in evanescere* tantum exhibere liceat, quod autori fermenta-
tio audiat langividior ac moderatior materiæ liquidæ, vel
variarum materiarum mixturæ actio, tanquam tertium
quid, vel tertius quidam motus: vel tepidioris externi
caloris adminiculo intercedente, vel solius compositionis
& commixtionis ratione, ex diversitate motus interni ac
insensibilis insensibilium particularum. Prolixa enim de
motu materiæ demonstratione probare nititur, omnibus
rebus vel aliud quodvis corpus affidentibus vel moventi-
bus novumque motum producentibus, localem cor-
porum motum vel sensu perceptibilem vel non per-
ceptibilem inesse, indeque quenvis intelligere ex
commixtione duarum vel plurium substantiarum, vel
similes, vel non admodum dissimiles motus internos
habentium, non magis alium tertium oriri pos-
se, quam ex earundem una. Pari ratione sese habere
fermentationem sanguinis & chyli, quam in corde excita-
ri supponit per portionem sanguinis (prius quidem medi-
ante arteria coronaria per cordis parenchyma distributi,
postea vero ibidem rarefacti) ratione rarefactionis, eamq;
concomitantium effervescentiarum ac dilatationis i.e. caloris
& pressionis, formavaporis vel sudoris, ipsos cordis ventri-
culos per eorundem interiore superficiem ingressam;

ibidemque illabenti sanguini in ejusdem fermentationem
& effervescentiam i. e perfectionem permiscendam.

§. VIII.

Ad hanc CL. Hogelandii sententiam notamus, eam, quantum ad ipsam sanguinis elaborationem spectat, nimis generalem, & ex parte in sufficientem esse, adeoque ex chyli particularum altiori scrutinio specialius determinandam; quantum vero ad fermentationem in corde eum in finem excitandam, eam recentiorum circa cordis fabricam ejusdemq; & respirationis usum, experimentis minus convenientem esse: Ex qua parte nos istam hypothesin admittamus, ex qua vero rejiciamus sequens caput uberiorius declarabit.

§. IX.

Evolvamus nunc Sylvium, visuri quid iste diligens viscerum humanorum scrutator nobis de Sangivificationis tradat negotio; iste certe praetereatis singularem operam & studium ad illud investigandum adhibuit, siquidem non tantum frequentes animalium sectiones singulari solertia instituit, ut quorumvis viscerum functiones ritè cognosceret & in humani generis commodum aliis quoque aperiret; Sed etiam ut liquorum quos in certos & definitos usus diversis in partibus secerni & contineri ~~ad~~ via docuerat, particulas & qualitates chymico examine deteggeret, allaboravit sollicitè, ut tandem sibi formaret sententiam cum aliis omnibus tam ratione certitudinis quam evidentiae de palma certantem, quam hic in compendio sic sume: *Cibi in ore masticati saliva imbuuntur sub aciditateque preparati, deglutitione per oesophagum in ventriculū devoluntur, ut in eo digestioni debite committantur, que fit, quando à fermento gastrico spirituoso & acidulo, ministrante ventriculi motu peristaltico in minimas resolvuntur particulas, que postmodum à potu & saliva subinde deglutitis dilute, pultiformem quasi massam constituunt. Alimenta hoc modo in ventriculo digesta ope motus peristaltici sensim per pylorum exprimuntur in intestinum duodenum*

denum, in quo cum bile retorrido lixivioso turgida effervescent, eo fine, ut comes alimentorum visciditas ab oleo copiose cum acidi spiritus & aquae exigua quantitate permixta, dependens, immutetur atque frangatur: Unde partes Chylosae subtiliores a ceteris crassioribus secundentes, ab illabente per proprium ductum succo pancreatico amplius diluuntur, maxima vero pars bilis unum cum facibus constituit massam. Secretus si a facibus chylus per spongiosam intestinorum crustam veluti per pannum laneum (qui in laboratoriis Chymicis manica Hippocratis audit) transcolatur quisi & motu intestinorum peristaltico in lactea vasa exprimitur. Statuit autem Cl. Sylvius, chylum hoc modo elaboratum, & per vasa lactea ad receptaculum commune detinutum, jungi Lymphe sub-acido-spirituosa ab inferioribus partibus per proprias vasa illuc delatae indeq; porro per lacteā thoracicam sursum per thoraci cavitatem translatum in sinistram immitti axillarem venam; sanguinem contrā ex partibus abdominis in Vena Porta confluentem in hepatis deferri inhibique cum bile ex folliculo felleo per Hepaticum ductum in illud (contra recentiorum experientiam anatomicam) deduxit. Siquidem bilem è sanguine in proprio folliculo ad eum modum elaborari supponit, quo vinum in ampulla in calido loco repositum in acetum facessit) comisceri, quo alcalica imbutus virtute atq; in V.C. capillaria vasa in hepate radicata receptus, sensim ad maiores atq; maiores ramos tendens, tandem in ipsum V.C. truncum confluat. Sanguinem itaque per V.C. descendenter chylo lymphaque sub-acido-spirituosa; per ascendenter vero bile alcalia per mixtum in confinio dextræ cordis auricule in situ venenoſo confusum, in dextram cordis auriculam delabi, qua fibras suas contrahendo, eundem in dextrum exprimat ventriculum: Hic tanquam in proprio foco mixturam hanc sanguinis heterogeneam ab interno cordis igne ad intimiore particularum commixtionem incendi atque rarefieri, inde sanguinem quantum vis adhuc imperfatum per arteriam pulmonalem in pulmones deferri, ibidem ab inspirato aere recreandum; è pulmonibus rursus per venam pulmonalem in cordis auriculam sinistram reducem, in sinistrum cor-

*dis ventriculum impelli, ejusdem interno igne iteratò accendendū
ac rarefaciendum, quo tandem ultimam suam nanciscatur perfe-
zionem.*

§. X.

Super hac CL. Sylvii sententia, siquidem mentem nostram aperire permisum esset, ~~ne~~ loco, eam dudum à modernis concussam atque dirutam fuisse, è sequentibus fundamentis monstraremus, & quidem: (1.) Quoniam Anatomicorum diligentia nunc satis detexit, hepatis functionem in bilis à sanguine secretionem, vel juxta alios, elaboratione confistere. (2.) Quod blanda illa fermentatio, quam in corde à sanguinis aciduli & alcalini concursu excitari statuit, minime tolerari possit (2) ob sanguini in corde denegatam moram, quæ ad excitandam fermentationem requiritur (2) quoniam spatium in cordis ventriculis ad eam partium quæ fermentatione fit, ex pansionem necessarium, deficit. Tantum enim enim sanguinis quovis diastoles motu in cor pellitur, quantum ejus admittit capacitas. (2) quia liber aëris accessus quoq; exulat (3.) Cordi neutiquam præ aliis visceribus ignis innatus est, sed calorem & vitam cum cæteris partibus communem à sanguinis calentis & fluidi elasticí perenni influxu obtinet, nec alia quadam specifica virtute sanguificativa pollet, cum tantummodo in corpore animali se habeat ad instar Machinæ Hydraulicæ. E quibus tandem fluunt conjectaria: Ergo (1.) Sangvis cum bile alcalica in hepatæ non miscetur: (2.) Nec contrariorum, alcali & acidi concursus & hinc orta blanda fermentatio in corde procedit. Ergo tandem remotâ causa, removetur effectus, ipsa nempe cordis SANGVIFICATIO.

§. XI.

Audiamus nunc Willium indagatorem naturæ inge-
niosissimum; hic ut tam intricatum totque controvergia-
rum nodis involutum Sangvificationis opus inde felici omi-
ne & successu expediret, simili quadam è naturæ foro de-
sumto, illud clarius exponere studuit. Chyli in sangvi-
nem

nem conversionem pari ratione se habere afferit, ac illa mu-
sti in vinum, aut cerevisie maturatio; hoc tantum adden-
do, quod sanguis ita elaboratus, adhuc quantumvis crudus
& imperfectus, accensione ultimum demum accipiat perfe-
ctionis complementum. Hanc suam Hypothesin in operi-
bus suis passim, praeципue vero in Exercitat. de Fermentat.
& eâ, quam de Sangvinis accensione inscripsit, declarare ac
stabilire operam adhibuit, maximè tamen perspicue & qua-
si ^{in eo} eam exhibuit Pharmac. Rational. S. II. c. 5. verba
ejus ita sonant: *Hæmatos eos vero rationem in hoc consistere (pu-
to) quod sanguinis veteris particulae active, nempe Salinae & Sul-
phureæ, cum Spirituosis in vigore positi, illico in chymi insyfi par-
ticulis, in statu inferiori adhuc existentes agunt, eisque exsusci-
tant adeo fermentant, ut exinde statim hæ crassiorum in volu-
cris extricatae, in parem cum prioribus exaltationis aut perfec-
tio-
nis gradum elevantur, ipsisque demum associatae & simul homo-
geneæ & similes factæ, eadem sanguinis naturam induant, par-
ticulis intermixi crassioribus & heterogeneis, à quibus exsuntur &
emergunt, illuc alio ablegatis. Enim vero, Sangivificatio, que-
admodum musti in vinum aut cerevisiam maturatio omnino fer-
mentatione peragit; verum discriminis ratio est, quod vinum
doliolo inclusum, usque in eadem massâ integrè permanens, quoad
totam ejus compaginem lente fermentatur & de novo generatur. Et
paulo post: Post sanguinis rudimenta ita per fermentationem
jacta, complementum ejus & perfecta in sanguinem assimilatio
per accensionem acquiritur. Dum itaque tota sanguinis massa
ex cruore & chylo simul confusis constans, inter circulandum fer-
mentatur, eadem insuper in portiones minuisimas divisa, per to-
tos pulmones explicatur, ut ab aëre nitroso inspirato secundum o-
mnies suas partes successivè accendatur: Ita namque & flamma
vitalis perennatur, porro & sanguinis particula omnes, velut
ignem paxse, defæcatores & inter se magis congruae evadunt.*

§. XII.

Ex his luculentissime appetat, CL. Willisi sententiam
esse



esse, Sangvinis & chylo elaborationem duabus præcipiè absolvit operationibus: Fermentatione nimurum & Accensione; de quarum prima actuali in corpore præsentia diu multumq; inter Physiologos disceptatum fuit, aliis eam affirmantibus, aliis contra negantibus, aliis hoc, aliis verò alio eam concipientibus modò, quorum diversas sententias jam in medium proferre, tam spatiis quam temporis angustia prohibent; quare paucis tantum notamus, fermentationem propriè dictam, qualem Willistus adstruit, neutiquam in corpore humano naturaliter concedendam esse, ex rationibus à Cl. Christiano Langio in Physiol. Operibus inserta, adductis. Quodsi verò termini sensum ampliare, & ad quemvis intestinum particularum motum extendere quis velit, eandem quidem admittere possumus cum aliis magni nominis Medicis, quanquam ista termini ampliatio nobis arridere non posit, utpote homonymiæ, & hinc oriundis erroribus occasionem suppeditans.

§. XIII.

Jam ad Accensionem: ista non uti prior æquè omnibus nota, uberiori expositione indigebit. Tenendum igitur ante omnia, Willistum cum Cartesio ejusque sectatoribus minimè convenire, qui à flammina in corde existente accensum ac rarefactum chylum purpureo indui colore existimant: nec effervescentiæ à principiis salinis fautorem esse, sed sangvinis accensionem à pris. usque abundantia deducere, in qua sangvinis accensione & incandescentia vitam consistere putat. Hanc suam sententiam aliquot argumentis stabilire laborat, è quibus sunt hæc dno: (1) Quod sangvinis incandescentiæ alia non possit assignari causa, (2.) quoniam maximè essentialia flammæ requisita vitae nostræ sint præsentia, quæ ex mente ipsius sunt: (a) aëris liber accessus, (b) pabulum æreum sufficiens & constans, (c) libera recrementorum fuliginosorum emissio.

§. XIV.

§. XIV.

Liberum aëris per os & tracheam accessum ipsis fibris obvium esse, ut de illo dubitare non liceat; nitrosum verò pabulum ad flammæ tam constitutionem quam perennationem necessarium ex aëre cum inspiratur obtineri, experimentis Boylianis liquido constare afferit. Hoc ipsum sanguini communicatum ejus accensioni inservire, quatenus hujus particulæ & ea nitrosis aëris in pulmonibus in occursum veniunt & cum iisdem accenduntur: exinde quoque patefieri cur ob aëris communicationem denegata, homines subita morte corripiantur, ideo nimirum, quod præcipuum flammæ vitalis requisitum tunc deficiat. Præterea flammæ ignes cum vita nostra convenientiam ulterius confirmare nifitur metallifosorum experimendo, quod in cryptis subterraneis, ubi nitrum vel deficit, vel à vapore alieno abigitur, tum demum illis animi deliquium immineat, quando ellychnii flamma diminuitur, cœrulea eyadit & deum exspirat.

§. XV.

Secundum flammæ sustinendæ requisitum sicut ipsi nihil aliud est, quam constans pabuli sulphurei absumti supplementum, quo deficiente aut per incongruam mixtrami depravato flamma extingvirur, ita pari modo ad Ignis microcosmici perennationem in sanguine, chylum accedere, alimentorum particulis sulphureis ac spirituosis imbutum, qui (sicut communia Ignei pabula incendio continenter absumta & partim in effluvia vaporosa, partim in cinerem, qui terræ, salis & sulphuris fixioris aquibus constat particulis, resoluta) brevi ab igne sanguinis attritus, magna ex parte in effluvia vaporosa pariter absumatur, capite mortuo terreo, quæ fixi &isque foetidi mediocres portiones continente, relicto, nobiliori bus tamen & œconomiae animali inservientibus particulis indebitos usus per omnes partes distributis. Hujus

C

pabuli

pabuli tantam esse necessitatem, ut ejus defectu nonsolum
sangvinis, & hinc totius corporis vigor languescat, sed
& e solidis partibus quædam ramenta continuo motu attri-
ta, partim dissipentur, partim verò in sinum sangvinis
recipientur. Exigit præterea, ut alimentum huic actui sit
conveniens, h.e. nec nimis aqueum, nec nimis sulphureum
ne cruor nimium accensus, febrem, quasi apertius incen-
dium concipiat.

§. XVI.

Tertium flammæ conservandæ requisitum statuit
liberam fuliginum eventilationem æquè flammæ vitali ac
vulgari sustinendæ necessariam, quod ab effluviis sangvi-
nis & chyli retentis, corporis accensi pori quasi obstruan-
tur, sicque materiæ sulphureæ inflammændæ eruptio co-
hibetur. Manifestò id declarare putat pororum obstru-
ctionem, in sanguine quasi fumo & vapore obsoito inordi-
natum motum efficientem, & ex hoc innumera corpori
mala progenerantem.

§. XVII.

Tandem cum Cl. Willisi experientia edocitus esset,
cujusvis corporis flammam aut ab alia, aut intestina par-
ticularum pearum agitatione accendi, horum aliquod in
sanguine nostro quoque fieri probare fategit, dum se-
quenti modo loquitur: *Flammæ vitalis parva quædam ini-
itia ab ipsa conceptione in humore genitali deponuntur, tuncq;
animæ corporeæ rudimentum, à parentum animis delibatum,
velut scintillula è flaminis ijsis excussa in materia idonea recon-
ditur, que deinde à calore materno exsuscitata parum gliscere
& micare incipit, atque postea cum sanguine producio & sen-
sim auctio in dies dilatata, corpori quod actuat & animat coexten-
ditur.* Ex his facile colligere est, quomodo ex mente
ipsius à parvis initii crescat flammæ vitalis & in ovulo
mutuo parentum congressu accendatur, non secus ac ex
chalybe excussa vehementi collisione scintilla & in fomi-
tem subiectum delapsa, illum accedit, ita tamen ut fo-
lum

lum gliscat & micet, unde postea inflammabilibus adnotis ingens flamma exsurgere potest. Ignem autem fœtus gliscerentem tum in flammam abire existimat, cum statō tempore editus iste, respiratione pabulum nitrosum flammæ accessioni debitum attrahere incipit.

§. XVIII.

Hæc sunt ea, quæ ex Cl. Willistio de Incalentia & Accensione sanguinis contracta, hic inserere necessarium existimavi. Restat adhuc ut ~~inveniatur~~ loco paucis moneamus, haec tenus de Accensione dicta, si ~~ad~~ ~~inveniatur~~ accipientur aliqua ex parte optime sese habere: quamquam negandum non sit, Cl. Autorem hac in re, quid statuat, valde hæsisse, cum variis argumentis primo formaliter in sanguine ignem evincere voluerit; postea vero eò delapsus sit, ut in calido viventium sanguine ignis seu flammæ proprietates, affectiones aliaque multa accidentia absque forma aut specie manifesta reperiri statuat: an verò positis omnibus ignis requisitis, proprietatibus &c. ejus forma abesse posset, Lectori dijudicandum relinquo. In genere verò contra illam accensionem, quam in pulmonibus ex concurso pabuli nitrofi aërei cum sanguinis iterato fieri supponit, urgemos: (1) non constare, an particulæ nitroæ ab aliis sejunctæ & liberatae; an vero cum cæteris, quæ aërem componunt, particulis sanguini communicentur & sic accensioni aptæ existant (2) nitri accensionem sulphuris admixti vel admiscendi actualem accensionem prærequirere; sulphuris vero sanguinei accensioni serofas & gelatinosas quibus involvitur, particulæ obstatæ. (3) nullam urgere necessitatem, pro deductione caloris vitalis hujusmodi accensionem præsupponere, cum calorem, imo quod majus est, actualem ignem in aptis corporibus sine prævia flammæ aut ignis applicatione produci posse experimenta evincant; ut adeo statuere fas sit, consimili modo calorem in corporibus ani-

malium gigni. Provoco hac in parte ad modernos Physicos Chymico - Mechanicos , & nominatim ad Excell. Dn. D. Frideric. Hoffmannum, Archiatrum Reg. Borusf. & P. P. Hallensem , in Physicis & Medicis suis, quæ extant, scriptis hæc præcipue satis demonstrantem. Qvamquam igitur ex dictis rationibus Willisi Accensionem si maxime in proprio accipiatur sensu, non admittamus, calori tamen suam in elaborando sanguine utilitatem minime detrahimus, quemadmodum id in sequenti Capite uberius demonstrabimus.

§. XIX.

Hæ sunt recentiorum Hypotheses, quas in hac Dissertat. præ aliis ideo exhibere animus fuit, quod earum Autores ob nova & sibi propria principia multum inclauerunt, pluresque invenerunt assertores. Ne Lectori sim molestus, alias recensere libens supersedeo, præprioris cum non ignorem plurimos præsentis seculi Physiologos chyli in sanguinem mutationem unicè particulis ejus \ominus lino - \oplus eis motus beneficio unitis & exaltatis in acceptis ferre. Sit itaque

CAPUT II.

Sangvificationem è verioribus principiis clarius deducens.

§. I.

UT ab ovo (ut dicunt) exordiamur, ante omnia Sangvificationis Definitionem fistere necessum est, quæ tanquam norma & regula monstret, quâ via sit incedendum, & quomodo se habere debeat insequentis tractationis filum. Ponimus igitur : Sangvificatio est actio vitalis, quâ in corde & vasis mediante motu sanguinis circulari & intrinseco, suppetias ferente, hinc orto calore, Chylus propriam sanguinis naturam & colorem fortitur.

In

In hac Definitione penitus considerari merentur: (I.) Genus proximum quod nobis est actio vitalis. ^(a) quia sanguificatio ad vitæ sustentationem necessariò requiriatur. ^(b) quia motus & caloris ope , in quibus vita consistit, absolvitur. (II.) Differentia Specifica sub se comprehendens ^(c) materiam, quæ est Chylus, ^(d) Sanguificationis causas, quæ sunt motus sanguinis duplex & hinc proveniens calor.^(e) Locum in quo fit, cor nempe & huic annexa vasa sanguifera.

§. II.

Generis deductioni nolumus immorari, cum illud in se satis clarum omnium inveniat assensum, quapropter, ut debitum servemus ordinem, primò ad Chyli tanquam materiæ sanguinis futuri examen nos accingimus. Chylus itaque est succus \ominus lino- \oplus eus in ventriculo ex alimentis paratus & per concursum bilis & succi Pancreatici in intestino duodeno demum perfectus, lacti colore & consistentiâ similis, qui per peristroma villosum ministrante motu peristaltico à fæcibus secretus & in lactea vasa expressus, per vias ipsi constitutas porro peculiari mechanismo sursum pro pulsus subclaviæ sinistræ infunditur.

§. III.

Alimenta, quæ vitæ nostræ sustentationi & corporis incremento optimè inserviunt, plurimum terræ & aquæ, multum \oplus is, plus vel minus salis in se continere, eorum resolutio Chymica demonstrat. Duplicem hæc ipsa in ventriculo (qui non inepte œconomiae animalis coquus dicitur) patiuntur resolutionem: Mechanicam unam, in minimas particulas; alteram physicam in sua Elementa; utraque in ore inchoatur, dum masticatione & diligentí subactione cum saliva præparantur. Physicæ resolutioni liquor gastricus cum saliva subinde deglutita primariò; motus tum calorificus, tum peristalticus secundariò, famulantur; Mechanicæ vero, liquida in ventriculo sub alimentis contenta

tenta & modo dicti motus ministrant, quos præterea motus diaphragmatis & abdominis in suo opere multum juvant. Utraque simul recentiorum quibusdam dicitur digestio, à digerendo, quod ad modum digestionis Chymicæ se habeat, omniaque concurrent ejusdem requisita, ut sunt: (1.) materia digerenda, (2.) calor, (3.) menstruum aptum, & (4.) materiæ agitatio; seqvuntur communes digestionis effectus: maceratio & extractio.

§. IV.

Fit igitur ex alimentis Chylus, quando eadem in ore dentibus probè comminuta & subacta salivali liquore, paucō sale temperato & spiritu imprægnato, ope déglutitionis per Oesophagum devolvuntur, ubi primo à saliva subinde deglutita, liquore gastrico & ingesto potu, adjuvante ventriculi calore macerantur & emolliuntur, à motu vero ventriculi tum propriō, tum alieno à Diaphragmatis & abdominis motu pendente, emollitorum partes contiguae quoad situm dimoventur, unde fit comminutio seu resolutio mechanica, quam una cum alimentis magnâ satis copiâ ingestus aér elasticus multum promovet, quatenus à calore valde rarefactus insuperque pro ratione compressionum & expansionum ventriculi continua alternatione compressus & expansus, vicinas saepius arietat partes, quæ prævia mace ratione & emollitione mobiles factæ situm suum mutare & a se in vice secedere coguntur.

§. V.

Hunc in modum in minutas partes resolutis alimentis, meliori cum successu menstruum stomachale extractionis opus orditur. Verè enim gastricus liquor menstrui sortitus est nomen, tum ob menstrualm quam obtinet virtutem, tum ratione operationis & effectus, quem producit. Maxima ipsius compositionis pars est aqua, cuius ope gelatinosas & salinas alimentorum solvit & in se recipit partes; minorēm continet salis temperati & Spiritus portionem, quorum opera

opera sulphureas & pingves extrahit & extrahendo in se recipit particulas : harum omnium commune quasi vinculum constituant gelatinosæ cum reliquis solutæ & unitæ. Huic menstruo stomachali in sua operatione suppetias fert salivalis consimilis naturæ liquor, continuò per Oesophagum destillans, ut antea dictum ; his vero junctim, ventriculi calor & motus ejus tum proprius tum alienus.

§. VI.

Praeterea sic per digestionem alimentorum in ventriculo extractione, superest ut particulæ solutæ & extractæ, chylum composituræ, dum cum crudiori & terreftri residuo adhuc permixtæ unam massam constituunt, ab eodem quasi filtrando & colando probe secernantur. Pellitur proinde tota massa ope motus ventriculi peristaltici versus pylorum, per quem in intestinum delabitur duodenū tanquam in officinam chyli perfectioni dicatam. Confluunt ibidem naturaliter bilis & succus pancreaticus : illa quidem, ut pingvi sua viscositate, juxta nonnullos, chylum à cruditatibus commixtis liberet, non secus forte ac decoctis albumen ovi clarificationis gratia additum, cum crudioribus partibus decoctum turbantibus, ob viscositatem suam combinatur, quo ab iis liberatum decoctum, clarum omnino reddatur ; juxta alios vero, ut viscositatem suâ pingvi communis instar vinculi partes Chyli diversas uniat & unitas servet. Prior sententia à nobis probatur ; posterior vero dubia redditur, (1) quod in ipsis alimentis gelatinosæ particulæ magna fatis copia contineantur, quæ ut §. præced. dictum, ab aqueis solutæ hanc particularum unionem præstare possunt. (2) quod bilem [in prioris sententiæ confirmationem] recrementis inhærentem, cum iisdem excerni videamus, non secus ac decoctorum cruditatibus adhærescens ovi albumen cum iisdem levi ad ignem facta ebullitione removetur. Succus Pancreaticus chylum diluendo, ultimam tandem ei dat formam, quatenus eundem

dem hoc modo ad transcolationem aptum reddit, prætereaque albedinem ipsi præstat, eō quod oleosæ & sulphureæ particulae cum Salinis junctæ, lymphæ admixtione albescunt, sicque emulsionem quasi naturalem præbent, instar amygdalati laetescensem. Hæc de bilis & succi pancreatici usu posita, minimè aliquis usus his humoribus rationi & phœnomenis respondentes derogant. In primis de bile salvâ nostrâ hypothesi facile concedimus, quasdam ejus partículas \ominus lino-volatiles & \oplus eas chylo admisceri siuunque ejus perfectioni symbolum conferre.

§. VII.

Chylificatione dicto modō absoluta, restat chyli à fecibus secretio, quæ fit, quando ope motus ventriculi peristaltici in reliqua intestina tenuia tota massa distribuitur, inibique ne celeri adeò motu per cavum intestinorum inutiliter fluat, à valvulis conniventibus & ilei circulari propè coli initium, ut & ab intestinorum gyris & anfractibus impedita ejusdem motus peristaltici ope ab angustatis & constrictis intestinis valide comprimitur, quòd sic incarceratus chylus quoad partem fluidiorem meatus peristromatis villosi & huic inserta lacteorum vasorum ostiola hiantia subire cogatur. Chylus sic à fecibus liberatus & in hæc vasa exceptus transit per glandulas mesenterii; harum lympha magis dilutus porro ad receptaculum lumbare, & ex hoc postmodum perductum thoracicum ad venam subclaviam finistram motu planè mechanico defertur.

§. VIII.

Inde fit manifestum cur Cap. præced. Sangvificationis officinas à veteribus & recentiorum quibusdam adstruetas non admiserimus; nullibi namque commoratur chylus, nec ad unum aliquod viscus præcisè defertur, sed sangvini in modo dicta vena subclavia permixtus, cum eodem in cavam labitur descendenter, hæc infundit auri culæ

culæ cordis dextræ, quæ eundem contractione sua in cordis ventriculum sibi patentem cum sanguine urget; hujus porro motu systaltico per arteriam pulmonalem in pulmones pellitur, e pulmonibus per venam pulmonalem remeat in sinistrum cordis ventriculum, hic porro valida compressione sursum & deorsum in arterias, & hæ tandem motu suo tonicō ad omnes & singulas corporis partes superas & inferas, remotas & propinqvas promovent atque perducunt. Postquam vero partes omnes irroravit, caloreque vitali & necessariō nutrimento refocillavit, harum tonicō motu in oscula veinarum in partibus radicata adgitur, ut ex harum capillaribus ramulis in ramos majores, ex his in truncos, tandemque unde exierat in ipsam cordis machinam moveatur, eodem iterum modo per easdemque vias iterato hinc circumferendus.

s. IX.

Fit igitur & nascitur sanguis non in corde, nec in hepate aut alio quodam viscere tantum, sed in corde & annexis vasibus sanguiferis, imo in ipso sanguinis meditullio, in his agitatur, movetur, rarefit & digeritur chylus, quo tandem sanguini quoad omnia similis, iisdem, quibus idem infervit, usibus aptus reddatur; quâ vero ratione & secundum quas partes chylus hanc subeat mutationem, sequentia luculenter declarabunt.

s. X.

Examinata nunc sanguificationis materia, ejus elaboratione demonstrata & simul sanguinis laboratorio indigatō, ulterius dispiciendum est, quarum particularum ratione chylus sanguinis naturam induere aptus existat. Longa rerum experientia nemini non constat, queis particulis nulla arte coccineum conciliari posse colorem, nec terrestribus & gelatinosis quæ copiosissimè in sanguine reperiuntur eundem effectum esse tribuendum, res igitur tandem ad salinas & sulphureas devenit. Prout vero in an-

tecedentibus innotuit, chylum salinas & sulphureas particulas in se habere multas ; ita chymicorum solertia quoque detexit, ♂ & ♀, certis operationibus tractata & combinata , si misceantur liquori convenienti eidem debita præparatione rubicundum & purpureum induere colorem & cum illo homogeneous constitutre liquorem. Nostrum propterea hinc dimanat argumentum, has easdem esse in chylo quæ propriè purpuram induunt & quarum ratione iste debita operatione in sangvineum convertitur humorem : hoc ipsum verò quibus mediis & quo modo fiat & peragatur, non minori studio enodandum est.

§. XI.

Cum autem notissimum sit artem imitari naturam, haud pigebit, aliqua illius opera huc maximè spectantia in scenam produxisse, quô & hujus actionem illarum collatione tanto felicius detegere queamus. En! itaque experimenta : I. & Lactis rec. 115. ♂is ♀i reverberati ȝi. coque in olla per horæ quadrantem , & liquorem habebis sangvinis purpuram exacissimè æmulantem ; si magis arrideat digestio, eadem longiori quidem morâ eundem producet effectum. II. Experimentum dat Tinct. ♀is Boylei rubicundissima ex intima unione ♀is & ♂is vol. alcalini nata, quam laudatus. Autor ita describit: Sulphuris C. in tenuem pulverem redacti ȝv. Salis Armon. similiter pulversati pondus æquale, Calcis vivæ tusæ ȝv. hosce pulveres exquisite misce eosque retortæ immisso, ex arena per gradus ignis destilla : calorem tandem adeo intensum ministrando, ac commodè fieri in arena potest, prodibit Tinct. ♀is volatilis &c. III. Quod maximè hic facit Experimentum ex Zypæo refert Langius in Operibus sequentis tenoris : Extractus ex cisterna lumbari & ductu Thoracico Chylus si cochleari exceptus aliquamdiu candelæ ardenti admoveatur, concrescit paululum & brevi roseum induet colorem. Hæc experimenta attentius nobis examinanti-

nantibus, monstrant modum sanguificationis possibilem
in posterum evidentiorum futurum; interim ut brevi dicam,
quod res est: motus est id, quod Lacti cum Thlepi, &
cum Thle vol. stci & Chylo ruborem secundum data Ex-
perim. tanquam efficiens conciliat; hic particulas Thlinas
& sulphureas mirum in modum componit, disponit, alterat
& modificat, qui prout plus minus intensus, sulphureæ ve-
ro & Thlinæ magis vel minus ab aliarum particularum con-
sortio liberæ, magis vel minus subtiles, hujus vel illius ita
ter se proportionis existunt, idem effectus quoque plus vel
minus, tardius aut celerius subsequitur: quod ita se habe-
re ex ipso Operationum Chymicarum (quibus nostra ex-
perimenta pari cum effectu fuere [instituta]) examine clarius
innotescet. Sunt vero illæ: Coctio & Digestio; Destilla-
tionem meritò præterimus, cum sub his ipsis, quantum ad
nostrum propositum spectat, comprehendatur.

§. XII.

In nostris Experimentis deprehendimus Coctionem
eundem effectum exiguo temporis intervallo producere,
quem Digestio longiori temporis mora demum progignit.
Peragitur vero Coctio quando materia coquenda apto va-
se excepta igni admovetur, cuius motu rapidissimè partes
materiæ admotæ itidem in motum rapiuntur, agitantur,
in se mutuò partim colliduntur, atteruntur, aliæ vero cum
ipsis ignis particulis in motu constitutis avolant &c. quæ
omnia pro gradus, durationis & ipsius materiæ subiectæ di-
versitate diversimode se habent. Instituitur autem in foro
Chymico diversos ab fines, fit namque vel solutionis, ex-
tractionis, mixtionis, partium aliarum unionis, aliarum
separationis gratia; prout particulae diversimode inter se
sunt comparatae.

§. XIII.

Digestionem optimè exposuit Excell. Wedelinus in
Pharmacia Acroamatica, p. 53. & seqq. Generalissimè eam
dicit

dicit alterationem liquidorum, adæquate mollium & solidorum. Talem procedere in nostris Experimentis res ipsa loquitur. Digestionem præstat calor blandus, vitalis, excitans, non destruens, æqualis juxta eundem L. cit p.54. si quidem natura gradatim progreditur, nec saltum facit. Calor autem poros partium subeundo, iisdem motum imprimit, ut inter se agitatæ & commotæ misceantur, sicque se invicem subire queant melius. Iste in nostris Experimentis quoq; præsens est; nam in I. Lac, in III. Chylum ingreditur, tum ut facilior solvendorum fiat solutio, tum ut sulphureæ cum Salinis melius congredi & uniri possint; congregat enim Digestio qua sub uno menstruo contineri queunt. Calori in sua actione suppetias fert aër inclusus non patulus, quævis enim materia digerenda in vase clauso in calidum locum reponenda est, quo calor concentratus fortius agat in humidum, & hoc propelli nescium eo magis recipiat vires. Quibus tandem particulis propriæ conveniat Digestio optimè quoque declaravit Ecell. Wedel. L.c. Digestio, inquit, præcipue est heterogencorum, præcipue Sulphuri & Sali volatili debita, heterogeneity enim non bene concordant, ergo sunt unienda. Et paulo post: *Sin dubio vero illis debetur, que igni seu calori auscultant & subdia sunt, Sulphuri & Sali volatili scilicet.* Paulus ulterius: *Sulphur primum est dulce, quatenus particulis suis viscidis, blandis, poris lingue æqualiter infertur.* Hinc fructus immaturi acidi, maturi dulces, Sulphure jam prævalente & digesto probè. Par ratio est mineralium, unde Sal & Sulphur principia statuuntur metallorum; ipsorum animalium, exemplo Chyli & Sangvinis. Quibus ultimis verbis haud aliud indigitatur, quam Chyli sulphur crudum, indigestum, cum Sale & vehiculo nondum unitum; in Sangvine vero illud digestum & reliquis Elementis probè unitum esse. Inde ratio quoque tertii Exper. elucescit, cur nempe Chylus ad Ignem calefactus rubro tingatur colore.

§. XIV.

§. XIV.

Ante adductorum Experimentorum rationibus nunc aliquantum declaratis, jam proximè dispiciendum est, an Chyli in sanguinem elaboratio simili contingat modò. Quapropter præsupposito, Chylum iisdem quibus sanguis, constare Elementis, nunc quoque enodandum, ultra in corpore humano ante dictarum operationum locum habere possit, ut ex alterutrius principiorum tam activorum quam passivorum præsentia demonstrata, tandem ad ipsam Operationem & inde oriundum effectum argumentari queamus.

§. XV.

Primum quidem de Coctione notum est, eam dudum pomum Eridos fuisse in Scholis Medicorum, cum diu multumq; inter Veteres & Recentiores disceptatū fuerit, an eadem in œconomia animali procedat, nec ne; Sed probè notwithstanding omnes de hac materia lites ex mero in termino luisa fuisse ortas, cum Veteres nunquam hoc termino usi in Physiologia coctionē propriè dictam indigitare voluerint, sed per Metaphoram tantum Chylificationē per coctionem fieri supposuerint; Recentiores contra eandem in proprio sensu à Veteribus dictam putaverint, prout ex utriusque partis scriptis passim elucescit. Clarissime porrò rationi constat Digestionem & Coctionem tantum secundum magis & minus differre; cum enim Coctio fiat, cum materia proximè ad Ignisflammam vel carbones ignitos admovetur per sufficiens temporis spatium; Digestio vero igne remissiore, vel calore blando solum peragatur, videsmus in nostris Experimentis (ut supra jam dictum) coctionem eundem effectum intra aliquot momenta producere, qui Digestione longiori temporis intervallo obtinetur; & quis non videt tempus operationis & vires caloris in Digestione & Coctione in reciprocâ esse proportionem, ita ut vires coloris se habeant ad tempus operationis in coctione, sicut se habet è contrario temporis intervallum

D 2

quod

quod ad Digestionem circa eandem materiam absolvendam requiritur, ad vires caloris in digestione. Et quibus porro sequitur: quod, sicut se habet gradus caloris in uno subjecto major, ad minorem in alio; ita reciproce quantitas temporis digestioni impendendi in hoc, se habeat ad tempus digestonis in illo. Quæ caloris & temporis in digestione proportio locum quoque in corporibus nostris habere observatur: (liceat haec pauca de Digestione naturali anticipasse) nam quorum fibræ majori tono & elasticitate gaudentes, vegetiorem efficiunt sanguinis circulationem & per consequens gradum caloris majorem, mox post pastum naturaliter sanguificationem inchoatam ex pulsu & calore auctis persentienti, confirmante id ipsum fame breviori temporis periodō, si cætera respondeant, redeunte; in quibus vero ob fibrarum debilitatem motus languet, isti tardiorem sentiunt sanguificationem, tardius quoque famis recidivam patiuntur.

S. XVI.

Cum vero natura gaudeat operationibus blandis & moderatis, è contrà vero actionum vehementia destruatur, Coctionem nemo sane in corpore præsentem statuet, nec statuere poterit ob requisitorum defectum. Quapropter illa relicta ad Digestionem progredimur, visuri, num in Oeconomia Animali locum habere & Sanguificationis negotio commodè applicari possit. Digestionem supra cum Excell. Wedelio descripsimus, quod sit alteratio liquidorum, adæquatè mollium & solidorum: quæ Descriptio, quâ ratione Chyli in Sanguinem conversioni competat, haud obscurè attendenti patet, & à posteriori ipso sensu demonstratur. Jam si principia digestonis activa consideremus, illa non possunt non sensibus esse manifesta. Superius dictum fuit Digestionem præstare calorem blandum, moderatum & vitalem. Quid vero magis obvium in corpore humano vivente, ipso calore? hic existens moderatus & vitalis actio-

num

h o p

num in corpore rite peractarum firmum præbet indicium; è contra si nimis æstu se prodit, aut nimis tepet, præternaturalē in Oeconomia Animali portendit statum. Tandem de aëre tanquam principio activo quoque nonnulla sunt dicenda: istum in animalium corporibus ubique præsentem esse, evincunt Experimenta in hujus delarationem à Curiosis Antliâ Pneumaticâ instituta: ab his enim compertum est animalcula cuiusque generis recipienti immissa, extracto per vices aëre, valde intumuuisse, haud alia ratione, quam ob destructum aequilibrium aëris interni & externi; hoc enim aliquot Emboli tractionibus multum imminuto vel ad sensum exhausto, internus animalculi impositi aër qui antea ab externo corpus ambiente comprimebatur, nunc sui juris factus, totum corpus nimium quantum elasticitate sua expandit. In corporibus autem nostris aëris præsentiam & activitatem præter alia demonstrat habitus corporis aëre existente levî & tenui satis conspicua expansio; contrâ eodem intensiori gravitate corpus nostrum urgente, itidem notabilis ejusdem compressio & confrietio: Quorum phænomenorum certè haud alia ratio est, quam, quod in priori casu ob nimis aëris externi diminutum aequilibrio aliquatenus destructo, interni vis & energia supereret externi pondus, ut sic ratione suæ elasticitatis iste se magis expandens, ipsos etiam humores corporis nostri, præcipue verò sanguinem & hoc mediante totum corporis mollius systema in majus extendat spatium: in posteriori verò quod aëris externi pondus interni vim superans, illud comprimat. Aër iste, quem modo probavimus intetnus continuo supplemento ab externo aëre opus habet, siquidem ejus sensim aliiquid subinde eventilatur, cuius in corpore defectus, ni mox suppleretur, totius corporis mechanismus, imò ipsa vita periret. Hunc in finem à sapientissimo Creatore respirationis organis instructi sumus, quibus aërem haurimus, sicque quantum ejus in corpore deficit

ficit, subinde recipere possumus. Id ipsum mirâ adeò pulmonum structurâ confirmatur, præcipue vero, quod Bronchiorum ramifications illis arteriæ & venæ pulmonalis ubique interponantur & cum illis eâdem viâ procedant, tandemque ubi in vesiculas Bronchiorum ramuli desinunt, iidem arteriæ & venæ pulmonalis easdem instar corymborum cingant, haud alio fine, quam ut sanguinem valde divisum & ita extensione majorem superficiem nactum, aër undique per ramifications Bronchiorum usque in vesiculos modo dictas pariter divisus, tanto melius subire queat. His maius adhuc probationis momentum addunt viæ Bronchiorum patentes in arteriæ, præcipue vero in venæ pulmonalis ramulos, quas ipsas sequens ingeniosissimi Willisi Experimentum evincit: *Si liquor quilibet arterie pneumoniae injiciatur, non ita promptè & cito pulmonem trajiciens per venas redibit ac si in membro quopiam aut in alijs corporis partibus experimentum illud feceris; quin pars liquoris injecti in trachea ductum aut loborum interstitia exsudabit.* pars alia in spumam abiens tardè admodum in venas redibit; indicio sanguine manifero; cum in transitu pulmonari inter vasorum oscula hæcere, cumque particulis aëris commisceri. Hæc Willisi. Haec tenus adducta quemadmodum nostram sententiam satis stabiunt, ita paucis adhuc notandum, nos illos minimè impugnare, qui Sal aëris balsamicum, particulas nitrosas, principium æthereo-elasticum in pulmonibus sanguini communicari certos ob fines hic non adducendos statuunt; sed potius in & cum aëre harum particularum communicationem fieri, non sine ratione existimamus.

§. XVII.

Ultimo nec silentio prætereundum, Digestionem artificiale multum promoveri, si materia digerenda menstruo suo immersa sœpius agitur: Hujus requisiuti præsentiam in humano corpore nemo negabit. Chylus

lus enim sanguini confusus, in & cum eodem circulari motu circumfertur, agitur & movetur, ut adeò nec in hoc requisito Oeconomia Animalis deficiat.

§. XVIII.

Monstratis sic in corporibus nostris principiis Digestionis activis, nunc quoque ad ipsam materiam digerendam quae hic Chylus est deveniendum probandumque, Chylum iisdem, quibus sanguis, componi Elementis, adeoque principiis Digestionis passivis quoque constare. Sanguinis nostri resolutio Chymica docet, eum pro basi & quasi vehiculo habere aquam limpidam in magna satis quantitate, quâ blando calore sensim absunta, si residue massæ siccatae accipientur unciæ 24. ex iisdem destillationis ope accipies juxta Experimentum Boylei Olei empyrevmatici 3*vij*. 3*ij*. Spiritus acciduli 3*vij*. 3*iiii*. Θ is volat. in formâ siccâ 3*j*. 3*iiii*. Capit. mortui 3*viiii*. è quo calcinato prodibunt Θ is fixi candidi 3*vij*. gr. ix. tandemque supere-runt terræ 3*j*. gr. ix. reliquo tam indestillatione, quam calcinatione in auras avolante. vid. P. Barbette Chirurgia c. notis Joh. Muys p 128. Chyli pariter basin esse aquam limpidam, quæ tanquam vehiculum sulphureas plurimas, pauciores salis temperati continent, ex superiori de Chylificatione diætis abundè constat; nec defunt terreæ particulae in chylo, quoniam sulphureæ & salinæ semper aliquas secum rapiunt. Supra cum Excell. Wedelio diximus Digestionem esse præcipue Sulphuri & Sali volatili debitam, id quod quam optimè huc quoque accommodari potest, siquidem ex ante diætis de Salis & Sulphuris in Chylo copia jam constat; dum vero de Sale temperato diximus, compostum ex alcali fixo, volatili & acido denotavimus. Notanter quoque posuimus præcipue, cum Θ linæ & Φ eæ tantum propriæ digestione alterentur. Salinæ enim in vehiculo aquo solutæ cum illo menstruum quasi adaptatum efficiunt, quod longiori digestione Sulphureas

E



phureas solvit & cum paucis terreis in se rapit. Salinæ cum Sulphureis hoc modo combinatæ & diversimodè modificatæ cum terreis, quas secum traxerunt, in aqua tanquam vehiculo continentur; è quarum omnium tali vel tali proportione, compositione, dispositione & modificatione, hujus vel illius indolis oritur mixtura.

§. XIX.

Probavimus itaque omnia Digestionis requisita in **Œconomia Animali**, quorum nunc ad Chyli in sanguinem conversionem applicatio unicè restat. Paucis igitur res tota huc reddit: Cum calorem in chylum sanguini confusum agere in dubium sit; cum item ex antea dictis constet aërem cum chylo & sanguine vasis inesse, qui intestinum Sangvinis & Chyli motum immo & calorem fovet & tuetur: porro cum Chylum moveri & agitari palam sit; liquores copiam Sulphuris & Salis continentis caloris, aëris inclusi & agitationis operaque simul Digestionem constituant, purpureò indui colore constet; Chylum itidem notabilem Sulphuris crassioris & subtilis, nec non \ominus is copiam in se habere, præter superius de Chylo dicta etiam alimentorum quibus vescimur examen chymicum evincat: Conclusio tandem dimanat, sanguinem è chylo per modum Digestioni per omnia analogum perfici & generari. Ut adeò sanguini è chylo confecto glutinosam consistentiam exhibeat sulphur pingue cum terreis particulis aquo elemento intimè unitum & permixtum, fluiditatem elementum aqueum; purpuram vero ex salis & sulphuris connubio nanciscatur.

§. XX.

Hactenus Sangvificationis opus per causarum efficiendum & materialium detectionem satis innotuit; ut nunc quoque aliqua de ejusdem formalitate dicamus, supereft, qualē nimirum chyli particulae figuram & inter se dispositionem, qualēmve eadem assuntant, cum chylus in sanguini-

sangvinem transformatur , quâ item ratione iste lumen reflectens , albi , hic purpurei coloris sensum efficiat . Colorum diversitatem à diversimoda luminis reflexione & refractione , hanc utramque verò à particularum corpus componentium varia figura , dispositione ; pororum plurium vel pauciorum , capaciorum & angustiorum in hos vel illos angulos formatorum , totam corporis compaginem directè transeuntium , quales in specie corporibus diaphanis tribuunt , aut varie aliarum particularum interpositione interceptorum vel incurvatorum diversa habitudine dependere , ex physicis constat . Dolendum verò intellectus & sensus nostri imbecillitatem in hac generali & confusa notitia subsistere debuisse , nec ullo acuminne quorumvis in specie colorum rationes detegere valuisse . Laudandus nihilominus Honoratus Fabri , quod præ aliis specialia , eaque rectæ rationi satis conformia exhibuit Tr. Physic. III. Lib. I. ubi speciatim album colorem à partium lucis indequè confertim emissorum , vel ab opacis corporibus reflexorum aut refractorum continuate ponit : rubrum vero à radiorum sive directorum sive reflexorum aut refractorum conjugatione misceri statuit , quâ partes lucis & umbræ numero pares alternatim disponantur . Hæc de albo & rubro colore dicta , num chylo & sangvini se applicari patientur , videndum . Acutissimus Leuvenhoek ope microscopii fui in lacte exiguos globulos transparentes impares magnitudine liquori limpidissimo innatantes observavit ; confimili quoque modo se habere mixturam solutionis resinosæ cum aqua asserit , hancque rationem esse quod exdem lactescant , quemadmodum id observare licet si Tinctura Benzoës limpidæ instillatur aquæ . Concludere itaque par est , chyli albedinem pariter dependere à particulis rotundis & transparentibus limpidissimæ aquæ innatantibus , quales in lacte observavit Leuvenhœk . Cum verò transparentia corpora

in se nullum colorem efficiant propter pororum directam positionem lumen directè transmittentium, conceptu facile est, aqueas & pingves particulas in chylo cum salinis permixtis sibi mutuo ita opponi, ut unæ ante aliarum poros locatæ, luminis transitum ex æquo retundant, ut radiorum lucis æqualis & continua fiat reflexio. Idem laudatus Leuvenhœk in sangvine globulos exactè rotundos, æqualis magnitudinis, sed tam exiguae ut gramum fabuli vigesies & quinquies millies illas supereret, humori limpido in magna copia innatare, eosque singulis 6. minoribus globulis iterum componi sedulâ observatione detexit. Globulos verò istos ita molles & flexiles esse, ut pro rei exigentia varias figuræ assumere queant. Cur verò globuli isti liquori limpido innatantes lumen modificando rubri coloris sensum efficiant, probabiliter inde fieri judico, quod radii luminis in interstitia globulorum cadentes, transmittantur, vel planè sine reflexione aut refractione retineantur, & quasi suffocentur; contrà radii in ipsos globulos in se opacos incidentes reflectantur, ut sic partes lucis & umbræ alternatim juxta ea quæ superius de rubri constitutione ex Fabri adduximus, disponantur. Ipsum præterea globulorum motum multum vivido purpureo colori conferre, idem Leuvenhœk in sangvine in patinam emissò & coagulato observavit, uti verba ipsius è versione Gallica huc translata docent: Les petits globules du sang sont plus pesans que la liqueur cristalline qui les contient; car aussi tôt que le sang est sorti des veines, ces globules l' affaissent peu à peu vers le fond du vaisseau, dont il a été recu & à cause de leur mollesse & fluidité, se couchent les uns sur les autres & l' unissent de telle manière, que le sang en change de couleur, sous la surface devenant d' un rouge foncé ou d' une couleur noirâtre, comme je l' ay observé diverses fois. Je crois que cela arrive que l' air ne se meut plus autour de ces globules avec la

avec la même liberté qu' auparavant. De là vient aussi que la superficie de sang devient d'un rouge plus vif, que que le tout ne l'estoit auparavant, parce que les globules dont cette superficie est composée n'estans pressés d'aucuns qui soient par dessus, l'air se meut & agit sur eux avec plus de liberté. Hæc de formalitate chyli & sanguinis & hinc dependente colorum diversitate cum ante di-
ctis de causis efficientibus & materialibus sanguificationis, explicant, quomodo formaliter per modum digestionis chylus dum in sanguinem convertitur, mutetur: intimè nempe uniuntur salinæ & terrestres particulæ cum sulphureis, quæ adhuc inæquales existentes & irregulares, ul-
teriori digestionis motu ita atteruntur & mutuò compo-
nuntur, ut globuli siant tam æquales & flexiles, qui intes-
tini & circularis motus beneficiò in liquore cristalli-
no hinc inde quasi in vehiculo agitantur & dislocantur,
quemadmodum sèpè laudatus Leuvenhoek acutè obser-
vavit.

CAPUT III.

*Sanguificationem præter naturam exponit, ejusque rationem
S. Georgius methodum generalē exhibet.*

§. I.

Cum Theoria in Medicina exigui sit valoris, quæ non æquè feliciter ad praxin accommodari potest; nos quoque haētenus de Sanguificatione Theoretice dicta, quâ ratione in morborum curatione Medico inservire queant, commonstrare studebimus. Cum autem teste S. Scriptura, Levitic. XVII, 14. vita humani corporis in sanguine posita sit, facile colligitur, eodem quoad o-
mnia benè se habente, sanitatem, quæ vitæ temporalis perfectio est, corpori adesse; contra ipsò ratione motus, quantitatis aut qualitatis male constitutò mōrbum insur-

gere rectâ viâ ad mortem ducentem, ni malo, in primis inducias non permittenti mox Medicina fiat. Porro cum in plurimis, ne dicam omnibus insignioribus à statu sano aberrationibus notabilis occurrat Sangvificationis lesio, ista vero per ipsam morborum, quibus subest, curationem tollenda & ad rectitudinem reducenda sit; nobis hic omnes ejus species earumque causas rimari, insimulque quibusvis propriam curationis methodum exhibere integrum non erit. Qapropter misis specialibus generalem solum sangvificationis præter naturam ejusque *syrenis* & *deponens*. Ideam tradere nobis propositum est.

§. II.

Læsa igitur habetur Sangvificatio, quando vel nimis langvet, vel *absum* peragitur, aut plane deficit. Causæ harum Sangvificationis læsionum sunt naturales non-naturales & præternaturales. Enaturalibus se offerunt visceris alicujus mala conformatio, (cum omnia viscera si non directe, tamen indirecte ad Sangvificationem operâ suâ concurrant) à nativitate nimia fibrarum laxitas & debilitas, temperamentum & consuetudo &c. Non-naturales sunt vulgo sic dictæ res non-naturales, è quibus tamen excipio excreta & retenta, eadem ad præternaturales rejiciendo. Præternaturales sunt ventriculus suo munere non aut minus recte defungens, gastrici liquoris, lymphæ pancreaticæ & bilis mala constitutio, intestinorum atonia & spasmus, fortis mesenterii obstrucțio, aut quodcunque viarium chyli vitium; viscerum quorundam partialis vel totalis obstrucțio, inflammatio, cerebri obstrucțio aut ab humoribus serosis & pituitosis aggravatio: verbo circulus sangvinis quovis modo irregularis & secretiones cum excretionibus vel auetæ, vel diminutæ aut depravatae.

§. III.

Langvida & insufficiens deprehenditur Sangvificatio, quan-

quando appetitu diminutō vel etiam satis vigente ob nullam hæmorrhagiam prægressam Sangvis deficit , cuius signa sunt in quibusdam habitus corporis macilentus,pallor & livor,venarum flacciditas & disparentia et si in calido degant patientes, respiratio anhelosa & debilis, viriū prostratio cum pulsū debili. Hæc Sangvificationis læsio sæpisimè cum aliorum morborum & symptomatum manifestatione, rarius sine illis se prodit, ad quam ultimam dicta signa propriè spectant , siquidem Sangvificationis læsa sub aliis morbis & symptomatibus comprehensa , omnium optimè ex illo- rum habitudine cognoscitur, nec aliis indiget signis , sicuti v.gr. in illis qui laborant appetitu diminutō citra plethoram,fluxu dysentericō,diarhœā diuturnā, febri colliquati- vā,aut qualecumque Sangvinei tam circularis quam rarefactivi motus perturbationem & ~~disorderem~~ patiuntur,ex ipso- rum horum affectuum vehementia aut perseverantia,imo aliis circa ægri constitutionem observabilibus de Sangvifi- catione diminuta judicium ferre prudenti Medico licet.

s. IV.

Arius, peractam Sangvificationem cachexia & habitus corporis cacoehymicus, febres tam continuæ, quæ Willisio putridæ dicuntur , quam intermittentes, cuiusvis generis morbi Chronici nondum tamen plane consumati indicant, quemadmodum enim in his omnibus prava sangvinis & reliquorum humorum diathesis occurrit, ita qualiscunque tandem hæc sit , à sangvificatione per quascunque causas depravata ejus *vires* deducenda est. Probè hinc perpenden- dimorbi horumque symptomata , quin & horum tempora & Chronicorum paroxysmi attente observandi. Non minori perspicaciâ inquirendum è cuiusnam partis quali & quanto quovis modo contracto vitio malorum natales proveniant, in quo illud consistat, an sit obstructio leví ma- nu tollenda , an vero diuturna & profundior cum mate- riæ obstruentis induratione , qualis in scirrhis viscerum obser-

observatur, an item putredo sit timenda aut jam incep-
rit: postmodum observandum, quomodo partium virtus
laborantium actiones laedantur, quâ ratione & qualis san-
givini cæterisque humoribus ~~ex~~ inducatur partesque
hinc ad spasmos vel atoniam disponantur; ubi & in qui-
bus partibus tandem obortæ sint itales & congestiones.
Ultimò, quò omnia redeunt, quomodo circulus sanguinis
sit turbatus, unde particularum motus intrinsecus vel
augetur, ut in exortu febrium contingit; vel diminuitur
aut quocunque modo irregularis existit. Ante omnia ve-
ro ventriculi & primarum viarum ratio habenda, an &
quomodo ille cum his simul munere suo defungatur, an
pravorum humorum expers, an vero cum intestinis iis-
dem oneratus existat.

§. V.

Exulat planè Sangvificatio in omnibus five acutis
five Chronicis morbis consummatis, item in morbis ve-
nenatis, & iis, qui ab humorum præcipue sangvinis ad
putredinem inclinatione dependent, maximè quoque in
morbis ventriculi & intestinalium, qui tam ciborum in
ventriculo digestionem quam digestorum depurationem
& chyli propulsionem ad sangvinem planè sufflaminant,
verbò in quibus chylificatio suppressa est: nam deficiente
chylo tanquam sangvinis novi materia, ipsa quoque san-
givificatio cesset, necesse est. Tales morbi præcipue sunt
Lienteria, Anorexia, Apepsia, Tympanites, Ascites,
convulsiones intestinalium vehementes aut motus peri-
stalticus suppressus &c. quorum omnium veram cogni-
tionem solida Theoriæ fundamenta, Practicorum libri &
propria cuiusvis experientia subministrant; è quibus tan-
quam ex fonte curationis methodus petenda, cuius ali-
quam tantum sciographiam hic exhibuisse sufficiat.

§. VI.

Cum autem solida & constans morborum curatio in
cau-

causarum remotione posita sit, juxta illarum in antecedentibus factam divisionem consideramus primo naturales in iisque primo quoque loco malam viscerum conformatiōnē humanā arte immēdicabilem; talem ante annum & quod excurrit, observare mihi licuit in puerulonovenario qui cum in vivis adhuc esset, statura infantem quatuor annorum vix superabat, & nihilominus tam macilens erat, ut vix ossibus hæreret, venter in ratione ad reliquam magnitudinem ad insolitam molam excreverat, tantam, cuius gravitati supportandæ crura non sufficiebant: vix duas aut tres offas citra insignem anxietatem cum sudoris eruptione assumebat, cum continua querelis de dolore, ut ostendebat in regione epigastrica; hoc misero vitæ statu tandem in pejus degenerante, lente obiit. Defuncti cadavere sectione aperto, statim hepar visui objiciebatur, nullo equidem tumore affectum, tantæ tamen magnitudinis, ut in maximæ staturæ homine vix majus reperias, ventriculum contra tam exilem inveniebam, ut vix *zijſ*. aquæ caperet, prætereaque tam male conformatum, ut speciem tantum haberet intestini dilatati, fibris interim tam rigidis & forti nexus junctis constabat, ut diffinitionem non admitteret. In hoc & simili casu curationis præcepta tradi non possunt, cum indubitate sint incurabiles. Interim negandum non est, in bibacibus ventriculum & intestina ab ingestorum copia notabiliter distendi, in primis si illud à prima statim nativitate fiat, cum fibra adhuc molles & flexiles, prætereaque illis continuè ex partium nutritiarum appositione aliquid accedit incrementum; multum tamen hujusmodi administratio restringitur à fibrarum rigiditate, flexibilitate vel mollitie quam à nativitate obtinuerunt.

§. VII.

Ad Sangvificationis læsionem Temperamentum quoque concurrere potest, non quidem per se, sed per accidens.

F

Nun-

Nunquam enim temperamentum quatenus in homine
fano mediocritatem servat, morbos gignit; attamen cum
ex proprio quisque temperamento ad quosdam morbos
proclivitatem habeat, ista de facili à quacunque five in-
terna five externa causa, istud ad altiorem gradum pro-
vehente, in actum deduci potest. Sit nobis pro exemplo
Cholericus, talis ob fibrarum sensibilitatem, mobilitatem,
sangvinis majorem rarefactionem & motum, Sulphuris
item & salis acris abundantiam, levi de causa, vomitu,
diarrhoeâ biliosâ, febribus item tam intermittentibus quam
continuis affligitur: quibus affectibus cum turbetur chy-
lificatio, sangvinis motus ad anomaliam ducatur, ipsa
ejus mixtura quoque in acrem sulphuream degeneret, his
ipfis Sangvificationem quoque turbari neccesse est. Igitur
ad evitanda hujusmodi incommoda consulo, ut omnia
prohibeantur, quæ quocunque Temperamentum inten-
dere possunt, & sedulo vitentur quæ eorum fomitem
excitare solent. Quodsi verò ex errore quadam aut in-
evitabili quâdam causâ temperamentum ægritudinem ali-
quam concitat, ejus vis contrariis remediis ad normam
reducatur. Par ratio quoq; est ætatis & consuetudinis, siqui-
dem ad alias morbos juvenilis, ad alias senilis &c disponit
quæ dispositio quoq; ex temperamenti natura petenda. Si-
militer comparatum est cum consuetudine, fibræ enim in-
ordinatis motibus semel agitatae, levi occasione ad eosdem
resumendos excitantur, sicut experientia testatur febres
intermittentes facile in eos recurrere, qui eorum vehemen-
tiam semel perpepsi sunt, in primis si vitæ genus & aëris
dispositio simul respondeant: in quibus casibus pro tem-
peramentis data regula quoque observanda.

§. VIII.

A naturalibus causis progredior ad non-naturales:
Harum concursum omnes excitari morbos penè di-
xerim, five is lentâ, five subitâ actione fiat. Cum enim
rerum

rerum non-naturalium usus, quamdiu vitam degimus nobis sit inevitabilis, sit, ut, quamdiu iste Temperamento & complexioni nostræ convenienter se habet, sanitas servetur; contra eodem vel nostrâ vel rerum non-naturalium culpâ minus bene se habente, quivis morborum fomites facile excitentur & in actum deducantur. Ex eorum numero primo se fistit aér, qui œconomiaë vitali maximè ratione qualitatis vitiosæ perniciosus redditur, & quidem (1) quando aér præhumidus & pluviosus existens, aqueum in corpore Elementum auget & præterea cutis & fibrarum tonum laxiorem reddit, unde circulus sanguinis notabiliter retardatur, particularum salino-sulphurearum actio diminuitur & langvida perspiratio redditur, quibus omnibus Sangvificationis turbatur negotium. (2) quando miasmatibus peregrinis, corporibus nostris in se noxiis est refertus, v. g. putridis, virulentis cuiusvis generis & Sulphureis narcosin inducentibus &c. quatenus enim hujusmodi particulæ humorum præcipue chyli & sanguinis crasim & motum regularem turbant, vitalis sanguinis digestio quoque diminuitur vel plane supprimitur. 3. Cum intense frigidus aut nimis fervidus existit, noxam nobis infert, ille quidem habitum corporis valde comprimendo & constringendo congestionum in interioribus partibus autor existit, quæ humorum corruptiones, & quatenus atoniam inferunt, motuum quoque perturbationem progenerant; hic nimia subtilitate & agilitate intestinum sanguinis motum nimis accedit, unde particulae humidae & subtiles salinae sulphureæ cum ipsis viribus exhauiuntur, chylus hinc quoque proxime in sanguinem vertendus vehementiori motu nimum dissolvitur, agilioribus & subtilioribus particulis privatur, unde fixiores & crassiores in corpore restitantes variis incomodis nisi attenuentur & temperentur, ansam præbent. Ex hac vero nimia sanguinis exagitatione illus tandem

oriri defectum, vel eundem pravae indolis produci, experiri licet in iis, qui febre quadam correpti decubuere; qui enim ante febris invasionem sanguine pleni conspicebantur, post illius decursum pallidi & ferè exsangves existunt. Febres autem male curatas abscessus, tumores, hydropem aut alios graves affectus excipere, Medicorum observationes testantur.

§. IX.

Hæc de aëris ratione Sangvificationem lædendi neutriquam ut universaliter accipiuntur velim, sed omnia de subjecto ratione temperamenti aut valetudinarii status &c. ad id dispositio intelligantur, cum extra omnem dubitacionis aleam positum sit, aërem ratione hujus vel illius qualitatis huic vel illi perniciosum existentem, aliis contra statu illis contrariō gaudentibus, salutarem & proficuum esse. Interim silentio præterire non licet, ob respirationem vel parcam nimis vel sepius interruptam actiones vitales & in his Sangvificationem quoque languescere, quatenus ex principiis æthereo-elastici spirituosi, quod ex aëre haurimus defectu, præter langvorem quo totum corpus afficitur; etiam intestinus sanguinis motus præcisè ad Sangvificationem spectans valde diminuitur; cuius asserti illustrationi inservire possunt, quæ Cap. II. §. 20. ex Leuvenhoek adduximus. Interruptam hujusmodi respirationem observare licet in iis, qui vita sedenteriae incurvato simul corpore, cum vel sine profundis meditationibus diu multumq; vacant: in his sangvificationem minus naturaliter procedere, testatur status eorum valetudinarius, ex quo non nulli scabie, alii hypochondriorum infarctu, tumoribus, capitisi gravitate, vertigine aliquaque id genus malis affiguntur.

§. X.

Alimenta ut nociva considerantur (1.) quatenus talia ratione modi, temporis assumendi & quantitatis inconvenien-

venientis redduntur. (II.) Quatenus talia actu & per se ratione qualitatum suarum existunt. In genere vero in antecessum de his notandum, aliis haec, aliis illa esse proficia aut noxia; aliis item largò, aliis parcò alimento opus esse, quorum rationem ab aetate, complexione, anni tempore, & morbi, si quis adeat, natura petere docet Hippocrates Aphor. S.I. 4. ad 17. inclusivè. Alimenta in se bona perniciosa redduntur, quando servide & citò nimis devorantur, antequam si solida, dentibus sufficienter comminuta & salivali liquore imbuta fuerint; haec enim ita ingesta in ventriculo difficulter & imperfectè, aut si firmioris sint compagis, plane non digeruntur, unde chylus vel deficit, vel crudus gignitur & heterogeneis particulis multum inquinatus. Cum autem juxta Veterum dicterium quod in primà coctione negligitur, in secundâ vel tertiat raro vel nunquam corrigatur; Ultrò sequitur, chylum crudum & peregrinis particulis scatentem, sanguinem quoque impurum reddere, ejus motum turbare, & Sangvificationi in se prorsus inconvenientem esse.

§. XI.

Alimenta in respectu ad corpus nostrum ratione quantitatis vel in excessu peccant, quando corpori ejus viribus & laboribus sustinendis improportionata quantitas assumentur, tanta, cui serendæ subjectum impar existit. Vix credibile dictu, quantam stragem genus humanum luxuriosò vivendi genere subinde accipiat, nihil enim magis sanitati inimicum, quam corpus, ultra quam par est, cibò potuque replere, & testatur proh! dolor experientia, quantas lues intemperantia corpori humano contrahat, vid. Hipp. Aph. S.II.17. Speciatim in iis, qui tono debili & fibrarum labrant molliiie, nimia alimentorum quantitas destruit magis robur partium solidarum, unde stases, congestiones, caco-chymia & plethora, fœcunda morborum matres oriuntur, è quibus porro motus sanguinis redditur inæqualis & langidus,

gvidus, ipsaque Sangvificationis actio turbatur & inordinata redditur. Rectissime itaque Hippocrates Aphor. S. II, 51. Omne nimium naturæ inimicum pronunciat; & aurea sane non satis commendanda regula est, quam Ex-cell. Hoffmannus Regis Boruff. Archiater & P.P. Hallensis his verbis tradidit: *Mensuranda ciborum quantitas cum viribus internis & motu externo; hinc corpus nunquam ita satiandum ut insequatur latitudo, somnolentia, torpor.* Defectu peccant alimenta cum quantitas eorum non respondet consumptioni in adultis; in junioribus vero, quando minus ingeritur, quam subiecti nutritio & incrementum postulant. Defectus verò occurrit vel in esculentis vel in potulentis, vel in utrisq;: pessima apud quosdam invaluit consuetudo, ut multum edant, non satis bibant, vel contra multum potent, & parum comedant: neutrum horum approbandum: quodsi enim liquida non proportionata sint solidis, præprimis in fiscioribus, male administratur alimentorum in ventriculo resolutio, cum ob insufficientiam humidi solida satis emolliari, emollita comminui, comminuta probè inter se agitari nequeant, ut sic per consequens extractio subtilium & corpori convenientium particularum ope liquoris gastrici non ritè succedat, & chyli in intestinis secretio non bene procedat, cum chylosæ particulae non satis dilutæ, ob crassiorem consistentiam difficulter admodum per peristroma villosum transmittantur, & permultæ humoris copia è fœcibus adhuc eluendæ, ob viscositatem iisdem firmius inhærentes cum illis eliminantur. Chyli hinc non tanta, quanta requiritur sangvini adducitur copia, unde in partibus solidis consumptioni non adæquatur restitutio, corporis emaciatio, & humorum præcipue sangvinis oritur defectus; taceo vires exhaustiri & sangvinis motum, vitæ sanitatisque fundamentum magis atque magis labascere. Quodsi è contrario potatores neglecto cibo iolis potulentis, vel ad minimum maximam partem iisdem se reficere delectantur

tur, præterquam quod humoribus corpus nimium aggra-
vando tonum fibrarum destruunt, in specie organa chy-
lyficationis energiâ suâ privat, in ventriculo malâ con-
suetudine famis ~~aviditatis~~ causantur, circulum sanguinis
turbant, undè in sensibilioribus partibus spasmî, in debili-
oribus vero congestiones & corruptiones partium obo-
riuntur, è quibus tandem Sangvificationem diminui vel
depravari ob laudabilis chyli defectum necessariô sequi-
tur. Utrumque deficit, quando corpori non tantô, quan-
to opus habet, cibo & potu polpicitur, cuius causæ sunt
vel morales, vel physicæ. Misfit moralibus Medicus de
Physicis removendis maximè sollicitus est, quæ ut pluri-
mum in ventriculo vel per se & idiopathice, vel sympto-
maticè male constituto radicantur, quarum curandi ra-
tionem omnibus rei Medicæ gnaris æquè notam lubens
prætero. Quæ vero ex indecenti, de qua nobis hic ser-
mo est inediâ consequantur mala, nemo ignorare potest;
motum sanguinis, imò ipsum sanguinem depauperari li-
quidò constat. Interim notetur Hippocratis Aphor. S. II,
4. Non satietas, non fames, neque aliud quidquam bonum
est, quod naturæ motum excedat.

§. XII.

Mala quoque corpori minitantur alimenta incon-
venienti tempore assumta, idque quando circa primam
vel medium noctem, vel vicibus saepius iteratis, debi-
to digestioni prius assumentorum non concessa temporis
intervallo ingeruntur: in neutro casu vitalis digestio pro-
cedit. Cum enim diurnô motu & labore consumtae vi-
res noctu per somnum quoque sint restaurandæ & actio-
nes circa illud tempus juxta naturæ ordinem langvidius
peragantur, tardius quoque fiat respiratio & ab hac pen-
dentes motus diaphragmatis & abdominis, debitus na-
turæ ordo turbatur, alimenta in ventriculo subsistunt,
corrumpuntur & sic degener tandem chylus sanguini ad-
duci-

ducitur, unde & istum cum suis operationibus sangvificationi inservientibus depravari necesse est. Ob saepius vero iteratam alitaram ventriculi vis & energia æque ac in priori casu prosternitur, & chylus elaboratur heterogeneus. Hujusmodi propterea enormis vivendi ratio cum meliori huic contraria permutanda.

§. XIII.

Non minorem alimenta ratione suarum qualitatum merentur considerationem. Sunt illa in genere vel *concreta*, vel *secunda*, eaque vel absolute vel respectivè talia. Absolutè *concreta* sunt carnes fumo induratae, pisces in primis sale conditi & indurati, per fermentationem muria condita vegetabilia, ut & cum aceto parati cucumeres, melones & similia, ea nimis omnia, quæ ratione firmæ partium compagis, actioni ventriculi non obediunt, vel ob mixturam humorum nostrorum evrasiae contrariam, corporibus nostris alendis minus accommoda existunt, interim semper aliquid concedendum viribus, vitæ generi laborioso & consuetudini, nam juxta Hippocrat. Aphor. S. II, 50. *A multo tempore conservata etiam si fuerint deteriora, insuetis minus turbare solent.* Disponunt vero ejusmodi alimenta ad Arthritidem, Scorbustum, Lepram, immo scirrhosis affectibus gignendis sunt aptissima. Notabilis Observatio est, quæ habetur in Actis Philos. Anglic. An. 1665. sequentis tenoris: *Thomas Day, Apothecarius Cantabrigiensis venam viro secuit ex prescripto Doctoris Eade, iustis loci Medici. Sangvis viri albedine prebebat speciem lactis, ex venâ crumpens preditus erat paulo diluto rubore, sed simulac exceptus erat vase, albū apparebat, guttasque lactis, quacunq; forte ceciderat, referebat. Hujus phænomeni causam conjectabat memoratus Medicus fuisse, quod aeger nimis pisibus pro cibo usus fuisse, simul afferens, ei lepram mature preventam Medicinâ imminuisse.* Ita observatio satis declarat quomodo à superius recensitis alimentis Sangvificatio depravata reddatur.

§. XIV.

§. XIV.

Est & d^{icitur} respectivè talia sunt ea , quæ, prout differt hominum constitutio, ab aliis facilè, ab aliis vero difficile digeruntur. Sic Phlegmatici non bene ferunt olera diversi generis , quoniam tonum satis debilem magis adhuc deprimit & sanguinem ad cacochemiam seroflo-pituitosam proclivem, facile ad illam deducunt; quā verò ratione in iisdem talium usū crebriori Sangvificatio lēdatur, optimè ex iis quæ Cap. II. diximus colligere licet. In genere igitur notandum, omnia esse interdicenda, quæ cujusvis individui Temperamentum exacerbare valent; eorum contra, quæ cujusvis mixturam attemperare possunt, largiore usum esse concedendum, quo temperies in terminis continetur , & Sangvificatio, prout fert cujusque constitutio, integra servetur. Quadrant huc verba Verulamii in Tr. Sermones fideles: *Observatio cujusq; propria eorum, que nocent & que juvant, optima est medicina ad tuendam sanitatem.*

§. XV.

Motus & quies quoque remotè Sangvificationem præternaturalem efficere possunt, si modum excedant; ille nimium commovendo & rarefaciendo Sanguinem & chyllum de novo allatum, ejus texturam pervertit , particulas blando motu combinandas disjungit , subtiliores salinas & sulphureas cum aquaeis , quæ sanguinis quasi vehiculum sunt, dissipat, unde ob requisitorum Sangvificationis instituendæ partim inopiam , partim depravationem, ipsa quoque actio vacillat. Similiter nimia quies Sangvificationi nocet , quatenus motus particularum intestinus nimis languidè procedit, unde partes chyli pro Sangvine novō constituendō jugendæ non conjunguntur, secernendæ non sequestrantur, ut per consequens sanguis deficiat vel *duocogit* laborans vasa replete. Testatur id valitudinarius eorum status, qui quieti nimis vacant, excretiones

G



tiones enim in iis non benè procedunt , appetitus est dejectus, facies pallet, totum corpus macrum & fere ex sanguine deprehenditur , & in suis actionibus segnes & torpidi sunt. Ut adeò verum omnino sit illud Hippocratis : *Homo sanus esse non potest, nisi laboret & moveatur.*

§. XVI.

Somnus & vigilia, utraque modum excedentia malum, dicit Hippocrates Aph. S. II, 3. Horum ratio Sangvificationis actum turbandi pari se habet modo cum iis, quæ de motu & quiete jam diximus. Quæstio propterea hic solum ventilanda venit: an Somnus post prandium conduceat, nec ne? Non sine ratione dixerim, utrumque sub certa limitatione concedi posse; speciatim iis qui in edendo & bibendo mediocritatem servant, ut & in quibus motus vitales languidè peraguntur, confert, ideo quod in iis vires debiles actionibus ante-meridianis exhaustæ, somno recolligantur, ut postea chylificatio imo ipsa Sangvificatione ritè peragantur. Noxam contra infert largiore vietu ventriculum aggravantibus; ventriculus enim nimia alimentorum mole oneratus & expansus, eò ipsò oneri huic deponendo impar redditur, ut ita motus externi operâ indigeat. Motu externo verò non solum cum contentis suis concutitur ventriculus, sed & ob acceleratam respirationem acceleratur motus Diaphragmatis & abdominis, quò ipso ventriculi motus proprius in onere portando & successivè deponendo multum sublevatur. Præstat itaque motus ope ventriculum à portione alimentorum superflua mox liberari, quò cæteris restitutis vitaliter digerendis sufficiat, sic enim ex benè elaborato chylo laudabilis quoque sanguis elaborari potest, si cætera respondeant.

§. XVII.

Sicut procella mare, sic animi affectus corpus exagitant: alii motum à centro ad peripheriam, alii contra à peri-

peripheria ad centrum concitant; illis influens aestuans agitatur sanguinis, his compellitur in stagna intrinseca. Prioris generis sunt: gaudium, ira; posterioris: subitus horror, animi mœror, vehemens timor &c. Omnes modum excedentes motus solidarum & fluidarum partium turbant, illi, eos nimis concitando; hi vero nimis supprimendo: utroque modô actiones in corpore laeduntur & à recto fit aberratio. In specie in priori casu Sangvificatione laeditur, quatenus chyli in sanguinem vertendi particulæ nimis disgregantur, ex parte dissipantur & à sanguine quoad texturam suam quadantenus mutato involvuntur, antequam salinæ & sulphureæ intimè inter se combinatae, à fero tanquam vehiculo contineri possint: in posteriori vero res contrariò se habet modô, ibi enim ob motus debilitatem chylus non ritè agitatur, ob caloris intrinseci defectum ejus digestio non bene procedit, nec tandem heterogeneæ particulæ probè sequestrantur, unde redditur sanguis impurus & cacoehymicus. Animi propterea tranquillitas sive ~~industria~~ & mens à passionib⁹ libera commendanda, quo justum in motu servetur moderamen. *Tantum vero juxta Senecam proficies concupiscentiis resistendo, quantum rationem ducem sequutus fueris.*

§. XVIII.

Causis naturalibus & non-naturalibus ordine nunc pertractatis, pauca de præternaturalibus dicenda restant. Istæ vel in chylo, vel in sanguine, vel in secretionibus & excretionibus præternaturaliter se habentibus ponuntur. Chylus Sangvificationem laedit, si vel deficiat, vel crudus sit & heterogeneis scateat particulis. Quando igitur deficit vel ventriculi, vel intestinorum, aut bilis & succi pancreatici vitiis, illa quantocius sunt emendanda. Ventriculi proinde tono à fero - pituitosis humoribus rugis illius inhaerentibus nimium relaxatō, isti primò digestivis præparandi & solvendi, deinde vomitorio evacuandi &

tertio tono resoluto roborantibus subveniendum. Sæpe contingit cruda & firmioris consistentia alimenta in ventriculo subsistere , imò intra ejus cavum longiori mora corrupti , à quibus pariter tonus valdè destruitur & liquor gastricus ita conspureatur, ut alimentorum extractio-
ni impar reddatur. Hujusmodi contenta in ventriculo si præter diagnostica etiam anamnestica cofirment signa , unò atque alterò vomitoriò evakuandi, postmodum verò balsamicis, spirituosò-salinis & roborantibus res confienda. Si ob perverbos intestinorum motus bilis & succus pancreaticus in ventriculum regurgitaverint, isti peregrini hospites itidem vomitoriò evocandi. Pituita viscida internæ intestinorum superficie adhærens porosam peristomatis villosi texturam obsidet, quâ chyli in V. L. transmisio inhibitetur : prescribenda propterea pituitam resolventia, quæ dein purgantia resinosa acria excipient, ut intestinorum canalis expurgetur & chyli secretio iterum integra reddatur. Pancreatis, ut & ipsius & biliferi ductus obstructio chyli quoq; causatur defectum, cuius ratio ex iis quæ Cap. II. §. 2. de bile & succò pancreatico diximus, erit petenda. Reseratio hujusmodi obstructionum imprimis si diuturnæ & pertinaces fuerint, variis remediis & administrationum modis tentanda , utpote possunt adhiberi tam emollientia quam resolventia varia, in primis verò si obstructio tantum inductibus occurrat, vomitus semel atque iterum excitati rem conficiunt, quorum juvaminis ratio hoc in passu est mechanica.

§. XIX.

Ob vitia viarum chyli ejus elaboratio quoque diminuitur aut depravatur, quatenus in illis (1.) contingunt obstructiones, sub quibus illæ quoque comprehenduntur, quæ fiunt in glandulis mesenterii (2.) cum motus tonicus in illis suppressius est. (3.) Quando pertinacibus affligitur mesenterium spasmis & convulsionibus. Primi casus suspicio ori-
tur

tur, si reliquis, quæ ad Chylificationem pertinent, benè se habentibus, corpus extenuatur & exsangve redditur. Secundi testes esse possunt fluxus lientericus, vel (quod quidem paradoxum videtur) alvi pertinax obstructio. Terti casus signa sunt: Diarrhoea cum torminibus, & convoluti-
onum instar globorum in abdomen sensus. Ad obstructi-
ones referandas pertinent quoque quæ §. præced. sub fine diximus. Atonia & opitulantur interne & externè adhibita
roborantia. Spasmis & convulsionibus medentur anti-
spasmodica, è quibus palmarum hic obtinent Crocus & Ca-
storum.

§. XX.

Chyli crudi & impuri causa præternaturalis existere potest ventriculus vel per se, vel ratione sui menstrui male constitutus. Primò quidem ventriculus per se chylum crudum & impurum gignit, quando ob impuritates ipsi inhærentes vel alias quasvis causas motus ipsius systalticus langide peragit, ut hinc alimenta non probe digeri possint, sic enim ex ingestis non laudabiles sulphureæ & pingves primario, sed viscosæ & pituitosæ cum variis aliis inquinamentis solvuntur & maximam chyli partem constituunt, quæ sanguini infusa eundem ad cacocrasiam disponunt atque in actionibus suis turbant. Malo huic medentur digestiva, vomitoria & roborantia decenti ordine exhibita. Liquoris gastrici vitiò secundo chylus producitur præ qualitatibus, quatenus ille \ominus lino-Spirituoso stimulo maximam partem destitutus, ob aqueo-viscosam qualitatem ad vitalis chyli productionem ineptus existit, adeoque sanguini generando minus convenientem conficit chylum. Non minus liquor gastricus excessive falsus aut acidus præter sulphureas & pingves etiam terrestres alimentorum aggre-
ditur particulas, atque chylum efficit terrefribus & salinis acrisbus particulis abundantem, qui sanguinis laudabilem crassim pervertit motusq; turbat. Prudens propterea Medicus

dicus ad anticipanda hujusmodi mala acre & salfum sanguinis serum cuius liquor gastricus progenies est, sudoriferis & purgantibus accommodatis evacuat, melioris vero preventum aqueo-spirituosis, acidum absorbentibus quandoque interpolatis, conciliat. Positò vero, in ventriculo omnia rite fuisse peracta, nihilominus in intestinis adhuc depravari potest chylus, vel ab ipsis inherente pituita vel a bilis visciditate, vel etiam a succi pancreatici viscida aut acri acida qualitate, quatenus peregrinæ hujusmodi particulae cum chylo mixta ejus debitam crasim pervertunt. Si itaque pituita in intestinis abundantis suspicio adest, illa prius per digestiva salina resolvenda postmodum vero purgantibus eliminanda. Sin vero chyli depravationis causa in bilis visciditate consistat, praeter purgantia, etiam amaricantia, aromatica, fixa & volatilia alcalina indicantur. Succus pancreaticus seroso-pituitosus, purgantia, spirituosa & salina temperata indicat; Acidus vero, eandem quam supra liquori gastrico acido decrevimus, curationis methodum postulat.

§. XXI.

Ipse sanguis Sangvificationem laedit vel ratione pravae mixtionis vel ratione motus male administrati. Ob pravam mixtionem intestinus sanguinis motus langvet, vel enormis & immoderatus existit; uterque chylo in laudabilem sanguinem vertendo inconveniens est, quatenus chyli salinae & sulphurea particula non ritè subtilisantur, exaltantur, a cruditatis liberantur, nec inter se combinata cum vehiculo probè uniuertur, ut inde liquor sanguineus bona notæ exsurgere possit; vel vehementi motu nimis rarefiunt, dissipantur, & ne se mutuo prehendant, impediuntur. Porro, perversa sanguinis mixtura per se & immediatè sanguinis elaborationem impedit, quatenus vel ob seri aequi abundantiam particulae chyli pingues & salinæ-sulphureæ nimis disgregantur, in motu impediuntur, & ex parte in aequi vehiculi poros recipiuntur, antequam debite rarefactæ, exaltare, depuratae & inter se combinatae fuerint; vel a seroso-pituitosis in sanguine prævalentibus maximam partem involvuntur, ut in bonum sanguinem facillere nequeant. In acri & sulphurea intemperie chylus similiter in acrem sulphureum sanguinem convertitur, propter particulae gelatinose aquosarum illas attemperantium nimiam resolutionem

&

& eventilationem. In acido-tartarea intemperie, salinae fixae & volatiles
alcalinae in chylo contentae ab acidis in sanguine efferratis recipiuntur &
ligantur, sulphureæ verò & pingues chyli à coagulō pituitosò inviscantur,
ut sic propter salinarum & sulphurearum motum, rarefactionem &
unionem turbatam, sanguis quoque pessimæ indolis generetur. Ulti-
mò viruleta quævis in sanguine in actum deducta mixtaram & texu-
ram ejus ita pervertit, ut partium ejus sequatur secessus & corruptio; te-
statur id quorundam morborum atrocitas & iisdem peremptorum ingra-
tissimus fœtor. Notandum verò venenorū in corpus nostrum agen-
tiā magnam esse diversitatem, alia subitā, alia verò lenā putredine
corpori esse infesta, cuius ultimæ species est lues Gallica, lepra &c. alia
porrò esse causticæ indolis, vel activissimæ vel fixioris. Hæc omnia
sanguinis crasis pliis vel minus pervertere & corrumpere, phænomena
morborum ab hujusmodi causis provenientium satis declarant. Vid. &
Baglivi experiment. circa sanguinem VI, VII. & X. A sanguine verò
quovis modō corrupto & chylum ei commixsum pariter corrupti, pro-
batione non indiger, testantur id Scorbutus & morbus Gallicus ad sum-
mum proiecti. Similiter observare est in iis, qui à febre malignâ modō
convaluerunt, ob nimiam humorum intemperiem motusque ~~disparati~~
non tantum omne alimentum in vanum cessisse, sed & sanguinem qui
antea vasa repleverat, magnam partem consumptum fuisse, id quod
venarum exilitas corporisque extenuatio indicant.

§. XXII.

Sangvificationis dictis modis lœse restitutio in ipsa morborum sub
quibus verlatur, curatione rite administrata ponitur. Interim ut cœptæ
haec viæ insitamus, generale curationis methodum hic quoque
exhibuisse non pigebit. Primo itaque corpus probè explorandum, quali
labore intemperie, quidve in corpore abundet illius pro generationi
inservientis, quibus cognitis, evacuatio per vias & media quæ tum ma-
teria evacuanda tum ipsa corporis constitutio postulant, suscipienda.
II. Quidquid in corpore ad sanguinis constitutionem naturalem præ-
cisè pertinens deficere observatur, successivè quantum fieri potest re-
staurandum. III. Alterantia quoque ad manus sumenda, eaque vel
resolventia & motum sanguinis langvidum exsuscitantia, vel in crassan-
tia & motum nimium attemperantia, vel balsamica, quæ corpus à cor-
ruptione instanti præservant aut liberant; nec tandem omittenda
ea omnia quæ pravam aliquam in humoribus qualitatem emendare va-
lent. IV. Si in corporis hac vel illa parte spasmi & convulsiones de-
prehendantur, præter derivantia, specifica antispasmodica sunt adhi-
benda, ut motus inordinati ad normam reducantur. V. Fibrarum ato-
niæ opitulantur exsiccantia quæ partes à nimia humiditate relaxante li-
berant,



verant, & roborantia, quorum passim apud Practicos magnus exstat Catalogus.

§. XXIII.

Ultimò tandem secretionibus & excretionibus debito ordine non procedentibus, multis modis lèditur Sangvificatio. Sic cum p. n. augmentatur, vel ipse sanguis nimia evacuatione diminuitur, vel elementa ad ejus constitutionem necessaria nimis subtrahuntur, è quibus cum vires & motus prosternantur, ipsæ quoque actiones & in iis præcipue Sangvificatio langvida & inordinata redditur; Sia verò secernenda & excernenda quedam retineantur, sanguini intemperies pro matetia peccantia varietate varia inducitur, quæ qua ratione sit corrígenda, ex hac tenus dictis satis innoscere potest. Ultimò excretorum qualitas quoque consideranda, præcipue an aliiquid retinendum simil cum illis effluxerit, sicut v. g. quandoque sanguinem cum urina excerni, vel in febribus salis & sulphuris copiam ex intensè rubicunda urinæ tinctura cum illa evacuari observamus: quorum simile si tæpius contingat, sanguinem diminui, à crassi naturali recedere & ejus motum turbari vel languescere liquido constar. Hujusmodi verò inordinatarum excretionum medendi ratio cum sub generalibus regulis exhiberi non possit, B. L. ad Practicorum Libros remitto.

F I N I S.

Errata conjectiora. In Proœm. lin. 37. Notitiam l. notitiam. lin. 44. luculentissime quisq;.lin.74. perrexere, pro pertexere. lin.89. Favorem, l.favorem. C.I. §. 1. ~~l. auctor~~. pro ~~l. auctor~~ §.8.lin.ult. Caput pro caput, §.2. ~~in in~~ §.17. l.13. lege, flamma. Cap. II. §.11. l.3. illorum. pro illarum. §.16. l.44. l.internus. §.20. lin. 20. qui, pro quod l. 76. dele, que. Cap. III. §.6. l.23. distentionem. l.distensionem. §.8.l.37. l.illius, §.9. l.17. l.sedentarie. §.11. lin.3. dele, sustinendis, lin.11. l.mollitie. l.54. l.prospicitur. lin.ult. l.modum. §.12. lin. 15. pro, alituram, lege, alimentorum assumptionem. §.13. lin.5. l.fermentationem.



00 A 63 29


ULB Halle
002 836 548

3



5b.

Retro



12.

A. J. T.
DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
**SANGVIFICATIONE
IN HOMINE,
SECUNDUM- & PRÆTERNA-
TURAM,**

Quam
SUB AUSPICIIS DIVINIS,
RECTORE HUJUS UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO

**PHILIPPO WILHELMO,
S.R.I. COMITE de BOINEBURG,**

SACRAE CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO & CA-
MERARIO, nec non METROPOLITANARUM ECCLESiarum,
MOGUNTINÆ & TREVIRENSIS CANONICO CAPITU-
LARI SENIORE, & respective CHORI EPISCOPO,
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CON-
SILIARIO INTIMO, ac CIVITATIS TERRITORII que
ERFURTENSIS PRO-PRINCIPE &c.&c.

Cum Approbatione

*INCLITÆ FACULTATIS MEDICÆ
IN ALMA GERANA UNIVERSITATE
PRO LICENTIA*

*Summos in MEDICINA HONORES cum annexis PRIVI-
LEGIIS legitimè capessendi,
æquo Eruditorum judicio exponit
Die Aprilis, Anno MDCCX.*

H. L. Q. C.

PAULUS HENRICUS Bogel / Erfurt.

A. & D.

ERFORDIAE,
Typis JOH. HEINRICI GROSCHII, Acad. Typogr.